# Programm

des

## städtischen Johannes-Gymnasiums zu Breslau

für das

## Schuljahr von Ostern 1876 bis Ostern 1877.

Herausgegeben

von dem

**Director Prof. Dr. C. F. W. Müller.**

**Inhalt:**

„Herm. Warschaueri de Hor. lib. III prioribus sex carminibus commentationis particula prior."
Schulnachrichten.

1877. Progr. Nr. 140.

**Breslau 1877.**
Druck von Fiedler & Hentschel.

Non defuturos esse scio, qui ubi primum cognoverint, quid inscripserim huic libello stomachosius exclament: „O dura messorum ilia! Quando tandem desinent indocti doctique scribere passim meditationes Horatianas novisque ingenii sui crustulis graviorem reddere illam commentationum, quaestionum, lucubrationum, dissertatiuncularum molem ἣν οὐκ ἄν γε δύω καὶ εἴκοσ' ἅμαξαι
ἐσθλαὶ τετράκυκλοι ἀπ' οὔδεος ὀχλίσσειαν?“

Talia quaedam atque etiam acerbiora novarum disputationum, quae sunt de Horatio, derisores atque contemptores suo iure iactarent, si iam nihil in Horatii scriptis requireret interpretum explanationem, id quod nec ipsi ausi sint contendere, nec si contenderent, eorum verba nisi apud eos, qui primoribus labris poëtae Venusini opera gustaverunt, fidem facerent. Quibus vero, quamquam summi ingenii homines in Horatio enodando elaboraverunt, multa tamen lucem videntur desiderare, hi non aegre ferent, esse qui operam navent Horatii carminibus illustrandis resque tractatas retractent. Atque equidem ut sum contentus paucis lectoribus, ita vehementer cupio, his aut arridere hoc commentariolum aut, si probari non potuerit, dignum videri, quod non minus plane atque aperte redarguant, quam ego in ponderandis aliorum opinionibus versatus sum. Qua in re:

......................„liberius si
Dixero quid, si forte iocosius, hoc mihi iuris
Cum venia dabit“ is, cuiuscunque argumenta visus ero acrius impugnare.

---

Quaestionum, quae in Horatio et explicando et enucleando haudquaquam mediocres interpretum contentiones genuerunt, non ultimum habet locum illa, qua anquiritur, sintne sex priora tertii libri carmina artiore quodam quasi vinculo inter sese conexa necne. Esse quidem, quod interpretes adducere potuerit, ut statuerent a poëta in unum tamquam corpus illa carmina confusa esse, facile concesserim. Habes enim, quod semel tantum apud Horatium occurrit, sex deinceps carmina eodem metro conscripta, quorum unumquodque a ludo iocoque quam longissime abest. Huc accedit, quod scholiastae ad carmen tertium annotant multos carmen tertium non separare a secundo. Gravius vero illud videtur, quod Diomedes, ubi de metris carminum tertii libri loquitur,[1]) id carmen, quod in editionibus nostris septimum numeramus, secundum appellat. Etiam illud volunt interpretes aliquid momenti habere, quod primum carmen totidem versibus circumscribitur quot sextum, et quae longissima sunt carmina, ea locum medium utriusque obtinent. Neque vero his solis indiciis nititur eorum opinio, qui non dubitant, quin si nihil aliud respicias nisi numerum, sex sint carmina, sin acrius videas, unum. Etenim te iubent quarti carminis primam stropham cum ultima tertii carminis comparare, ut penitus cognoscas alterum ab altero divelli non posse. Quibus autem, quamquam

[1]) de arte grammatica lib. III. cf. Gruppe: Aeacus p. 541.

haec omnia proferunt, quae dixi, minus tamen persuadere possunt, hos relegant ad primam primi carminis stropham, qua haud obscure censeant indicari, id quod ipsi indagando invenerint, et rectum et satis stabilitum esse. Esse enim hanc stropham splendidum quoddam prooemium sex priorum libri tertii carminum iam Torrentius pro explorato habuit.

Sunt autem haec indicia extrinsecus assumta, quibus solis si dicerem eos uti adminiculis, qui ponunt Horatium sex carmina ita coniunxisse, ut unum esset, a vero discederem. Immo non paucis illa signa, de quibus modo diximus, tamquam venae videbantur, quas ubi primum, qui metalla exercent, conspexerunt, in viscera terrae eunt, ut thesauros effodiant eruantque; intellegebant enim, ut probarent id omni luce esse clarius, quod ipsi tenerent, necesse esse perspicue ostendi unum esse argumentum per sex illa carmina quasi diffusum ac disseminatum atque uno eodemque tempore ea conscripta esse. Scrutantibus vero ac rimantibus, ut fere fit, tam multa occurrebant, quibus opinionem suam fundarent, ut etiamsi notae illae, quas supra commemoravi, non exstarent, tamen gravissime fuerint defensuri nisi Torrentii sententia comprobata omnino haec carmina percipi non posse. Quid igitur mirum, cum accederent ad tot indicia, quae ex prima statim fronte carminum cognoscerentur, ea quae ab ipsa carminum materia repeti et possent et deberent, exstitisse qui praefracte negarent dubitandum esse, quin Horatius sex illa carmina hac mente scripserit, ut unumquodque nihil nisi pars unius esset carminis. Ac profecto illud *ἀξίωμα*, ut Graeco utar verbo, tot nactum est et admiratores et propugnatores, ut qui aliter senserint de hac re, appareant rari nantes in gurgite vasto. Hi autem, si verum fateri volumus, magna quidem ex parte, non ut debebant, rem suam egerunt; multa, quae in medium protulerunt, mucronibus hebetioribus erant consimilia tantumque aberat, ut infringerent aut refutarent ea, quae in contrariam partem disputata erant, ut etiam adversariis aliquid praesidii afferrent ad defendendam opinionem, quam de his carminibus amplexi tenebant; non contra adversarios, sed contra semet ipsos nonnunquam arma illos ferre ac vineta sua caedere putares. Qualia tandem sunt illa argumenta, quibus quasi propugnaculis utuntur, qui sumunt omnia sex carmina unum efficere? Num tantum habent gravitatis ac ponderis, ut qui ea cognita habeat, hunc manus dare oporteat isque, qui illam opinionem undique firmatam nimirum et stabilitam audeat redarguere, et operam et oleum perditurus esse existimandus sit? Hoc qui habet persuasum, is eorum argumenta, quibus placet sex illa carmina esse simplex dumtaxat et unum, non tam videtur expendisse quam numerasse. An vero cuiquam eorum, qui illud mordicus tenent, iam contigit, ut demonstraret non tortuosa illa quidem ac spinosa explicandi ratione, sed perspicua atque directa unum esse quiddam, quod tractetur in his carminibus? Hoc enim nihil gravius esse, nihil magis quaeri debere quis est, qui neget? nisi forte putamus de carminum argumento minus laborandum esse quam de aliis rebus iisque multo levioribus, id quod, quo quisque existimator càrminum Horatianorum erit acutior, eo liquidius negabit fieri oportere. An porro quisquam ita, ut iam nemini liceat contra dicere, effecit omnia illa carmina si minus uno eodemque, tamen eodem circiter tempore conscripta et emissa esse? At hercule, si ab illius opinionis comprobatoribus luculenter simpliciterque interpretando explanatum esset Horatium per haec sex carmina in uno versari argumento, sive ad mores civium emendandos, sive ad civitatem constituendam, sive ad quamlibet aliam rem spectaret, vix tot externis notis opus esset, ut ab omnibus concederetur, habere haec carmina novum quiddam atque insolitum Horatiumque, etiam quod ad cyclicum carmen lyrici generis condendum attineat, libera per vacuum posuisse vestigia principem, non aliena suo pressisse pede. Haec vero gloria ei amplior esset atque illustrior, quod ne apud Graecos quidem tale quidquam reperitur quodque recentiorum populorum poëtae lyrici, a quibus

mira quadam ac singulari arte plura carmina in unum confusa sunt, non tam inventores quam Horatii imitatores essent dicendi. Artam esse rerum coniunctionem, quae tractentur in his sex carminibus, si quis lucide probasset, prima primi carminis stropha magnificus quidam introitus ac gravitate rerum, de quibus dicturus est poëta, perdignum exordium et primi carminis et ceterorum quinque esset habendum atque iis quoque, qui cum Lehrsio contendunt: „es sei bedenklich für antike Sitte eine Strophe solchen Inhalts und Schwunges nicht künstlerisch verwebt zu sehen mit dem Folgenden," confitendum esset in silvam ligna ferre non insanius esse quam pernegare Horatium numero sex, reapse unum confecisse carmen. Sed haec res longe aliter se habet eorumque, qui omnium sex carminum materiae inseparabilem quodammodo societatem atque unitatem venditant, interpretationes eiusmodi sunt, ut optatae magis quam inventae videantur. Neque vero fieri poterat, quin praecipue ii, qui cyclici carminis et auctores et propugnatores et admiratores exstiterunt, haec proferrent de illis carminibus, quae opinionum commenta ac monstra non iniuria appellaveris. Capti enim ac praeoccupati testimoniis illis externis rerum tractatarum consensum concentumque in versibus Horatianis pro viribus quasi imprimendum putabant. Hanc interpretandi viam quisquis ingreditur, in errores inducatur necesse est. Quos qui vitare voluerit ac certa ratione et via profligare quaestionem, quam mihi proposui enucleandam, ei, ut mihi videtur, non ante indiciorum conglutinati cuiusdam carminis ratio erit ducenda, quam inquisiverit, quid sit argumenti singulorum carminum, quid poëtam impulerit, ut hos versus faceret, quid his carminibus secutus sit, num omnino ex carminibus ipsis erui possit, quo anno condita sint. Haec omnia explanare nunquam non videbatur difficilius in carmine tertio, quarto, quinto quam in reliquis. Ad illa autem duabus de causis prius accedam, quarum una est, quod quantam interpretandi licentiam cyclici carminis defensores sibi assumant, ex accuratiore horum carminum tractatione vel maxime apparet, altera, quod cum plerisque his praecipue carminibus fulciri videatur sua de cyclico carmine opinio, idem mihi puto faciendum, quod facere solent, qui aggrediuntur ad solidum aedificium destruendum. Hi enim omnium primum validissima fundamenta et firmamenta evertere conantur, quod his discussis ac disiectis reliqua aut illico ruina collabuntur aut facili negotio convelluntur ac labefactantur. Pertractatis igitur his tribus carminibus inquiram in reliqua, de quibus, quoniam ante praemuniero, presse disputare mihi licebit; tum demum disseram, quid tribuendum sit externis illis ac primo obtutu sane notabilibus indiciis, unde tota quaestio nata et profecta est.

Ut autem cum in quarto quintoque carmine tum praecipue in tertio longius haererem, quam aut fas aut aequum videatur, hac re factum est, quod quoniam mihi persuasi pertinere, quae in disceptationem quaestionemque vocantur, etiam ad alia carmina Horatiana, meum esse putavi ea, quae docti homines suo Marte de his carminibus disseruerunt, non leviter perstringere, sed ut ait Tullius, comminus agere experirique, si possim cornua commovere opinionum quarundam inveteratarum neque ad haec sola carmina spectantium. — Etiam illud investigandum videbatur, utrum iure an injuria statuatur interpolationibus nugatoriis haec carmina esse deformata, utrum usquequaque limatus Horatii stilus splendeat, an occurrant quaedam, quae, ut agnoscas poëtae Venusini sobrium ingenium, emendationem vehementer requirant. — Praecipue vero id mihi proposui, ut demonstrarem satis causae fuisse, cur aggrederer ad interpretanda haec carmina. Hoc probare non melius potero, quam si accuratius eorum, qui ante me in hac quaestione sunt versati, opiniones atque argumenta perpendero. Hac ipsa ex re apparebit, quam arduam asperamque viam interpretes ingrediendam sibi censeant, ut quid dixerit Horatius, explorent. Etenim profecto si usquam, in illustrandis his carminibus, quae quam in partem accipiamus, magnopere refert ad Horatii ingenii facultates moresque iudicanda, exit in

immensum fecunda licentia interpretum neque recte ac merito argui potest augere rem et in maius extollere, qui perlustratis grammaticorum de his carminibus sententiis dicit visum esse quibusdam Horatium non carmina reliquisse, sed obscura aenigmata, ad quae solvenda illos remotissima quaeque operose congessisse congestaque monstruose colligasse.

---

## Od. III.

Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

De carmine tertio tot prolatae sunt explicationes, quot, si c. I. 28 excipias, nescio an de nullo carminum Horatianorum. Quaerentibus autem, quae causa sit, cur tanta opinionum sit discrepantia, ut interpretum, quotquot exstiterunt, alii aliter senserint de hoc carmine, respondemus Iunonis orationem et ultimam carminis stropham iis visam esse dignum vindice nodum. Quae deae oratio et carminis clausula quomodo cohaereant cum iis, quae praecedunt, veteres interpretes aut nihil dixerunt — recentiorum quoque multi hanc quaestionem integram intactamque relinquunt — aut censuerunt Horatium digressum esse a re proposita ad eamque in exitu carminis ita sese revocasse, ut Musae licentiam praescriptos gyros migrandi refrenaret[1]), quam sententiam qui comprobent, nunc quoque inveniuntur. Quod vero defendunt Horatium more modoque Pindari digressionem fecisse quartumque carmen Pythiorum imitandum sibi proposuisse, ego vero existimo nec Pindarum huiuscemodi egressus fecisse nec illi carmini, quod iubemur respicere, ullam esse similitudinem cum c. III. 3. Etenim materia epica, quam Pindarus in epiniciis tractat, cum reliquis carminum partibus arte cohaeret. In hoc illove carmine minus cerni posse, qui sit contextus, non infitior; illud vero nego inde, quod nonnunquam apud Pindarum non conexae, sed praecisae videantur singulae partes, poëtam putandum esse deflexisse atque aberrasse a re proposita. Namque si melius nossemus, quales fuerint, quid gesserint ii, quos vates Thebanus centum potiore signis munere donat, in omnibus carminibus lucidam sententiarum perpetuitatem admiraremur. At quantum interest inter Pindarum et Horatium! illum si contenderis agitatum divino quodam instinctu cursum non semper tenuisse, probabilia proferre videaris; hunc vero, qui nunquam ruit flumen ut hibernum vel in altos nubium tractus tendit, nullo iure dicere potes tamquam sui nescium praecipitem ferri et ab alia re ordiri, aliam in medio carmine tractare. Commode enim Friedlaenderus, haud spernendus pulchri venustique existimator, Horatii lyricam artem appellat: immer studirt, reflektirt und nur zu oft gequält.[2]) Ut autem sunt, quibus propter Iunonis orationem totum carmen obscurius videatur, quam ut possit illustrari,[3]) sic non desunt, qui persuasum habeant hanc ipsam deae orationem, hunc ipsum carminis exitum et testimonio esse de re maximi momenti agi et ansam dare solidae ac sanae coniecturae. Et vero acriter arguteque Tanaquil Faberus inde, quod Iuno etiam atque

---

[1]) Seebodes Archiv 1825 p. 659 sqq.

[2]) cf. praeterea Campe: Literarische Tendenzen und Zustände zu Rom im Zeitalter des Horaz. Jahns Jahrb. 1871, p. 463 sqq., imprimis p. 553; Herder: Sämmtliche Werke zur schönen Literatur und Kunst II. 114; O. Müller: Griech. Lit. I. 286; Anton Zingerle: Ovidius und sein Verhältniss zu den Vorgängern und gleichzeitigen römischen Dichtern. fasc. III. Innsbruck 1871 p. 36 sqq.

[3]) Steiner: Commentat. Horat. specimen II. Kreuznach 1847 p. 9, „quamquam confitendum est hodie nos non modo hanc partem, sed totum carmen parum intelligere, cum propter Troiae commemorationem gravissimam illam quidem, sed nobis perobscuram . . . . . . .“

etiam Troianorum urbem restitui vetet, coniecit Horatium id sibi proposuisse, ut moneret, ne Troia pro Roma caput orbis fieret.[1] Haud pauci hoc commentum admirabantur clamabantque „pulchre! bene! recte!" At stolidam esse Faberi coniecturam praeter ceteros ostenderunt cum Bambergerus[2]) tum Struvius.[3]) Horum argumenta contra Faberum eiusque laudatores prolata si cognovit recentissimus Horatii explanator, demiror equidem eum a sententia certissimis indiciis explosa non potuisse divelli ac distrahi et dictata decantare.[4]) Ad ea, quae Bambergerus et Struvius hanc in partem memoraverunt, haec liceat addere. Augusto si exploratum erat patriae sua sede pellendae consilium Caesari fuisse calamitati atque exitio, nihil magis cavebat, quam ne simili rumore in vulgus elato civibus in odium invidiamque perveniret, quippe quibus demigratio videretur exstinctio atque interitus nominis Romani.[5]) Iulium Caesarem enim, qua erat calliditate, non imitabatur, nisi quotiescunque persuasum habebat, quam rem moliretur, eam populo pergratam esse idoneamque ad numerum sui studiosorum augendum. Accedit, quod apud neminem nec Romanorum nec Graecorum scriptum videmus Augusto fuisse in animo alio demigrare atque Troiae sedem imperii collocare, immo Romam ut orbis arcem praesidiumque magnopere ei et cordi et curae fuisse memoriae proditum est.[6]) Fac autem Augustum aut Caesaris vestigiis ingressum[7]) aut sua sponte induxisse animum Troiam caput atque arcem imperii facere, quippe quod et sibi et populo Romano conducere perspectum haberet: quid est, quod statuamus Horatium ab illo consilio principem revocasse? Unde licet coniecturam capere immiscuisse sese Horatium rebus ad civitatem constituendam pertinentibus atque viri civilis partes unquam egisse?[8]) Ac iam concedamus id studuisse hoc carmine poëtam, ut Augusti animum a consilio demigrandi averteret, id praecise est negandum, etiamsi minus obscure perplexeque dixisset, effecturum eum fuisse, ut Augustus, quod ceperat consilium, abiceret. Vehementissime sane errant, qui Horatium existimant nomine populi ad preces decurrisse Augustumque exoratum mentem mutasse. An putas his diebus futurum esse, ut qui vel in libera re publica clavum imperii tenent, postquam sibi persuaserunt ad communem salutem multum interesse sedem imperii alibi collocare, excellentissimorum poëtarum carminibus aut deterreantur a proposito aut plane atque omnino

---

1) Ep. Lat. II. 43. p. 107.

2) Ueber Hor. III. 3. Philologus II. p. 691 sqq. vel opusc. p. 200.

3) Opusc. vol. II. p. 376 sqq. vel Abhandl. der deutschen Gesellschaft zu Königsberg. I. 157 sqq.

4) Schütz: Kritischer Anhang zu III. 3.

5) Quam cara etiam tum fuerit Urbs Romanis, quam valde se iactaverint in illa habuerintque persuasum nullam omnino urbem quidquam esse ad Romam, docet Prop. IV. 22, 17 sqq.

Omnia Romanae cedent miracula terrae,
Natura hic posuit, quidquid ubique fuit.

id. V. 2. 6. Romanum satis est posse videre forum.

6) Suet. vit. Aug. 28. Friedländer: Sittengeschichte I. p. 4 sqq.

7) Caesari revera fuisse in animo sedem imperii Toriam transferre nusquam scriptum exstat. Suetonius de rumoribus modo loquitur, quos non dubito quin Caesaris inimicissimi sparserint, ut ostenderent, quam bene ipsi de re publica meruissent occiso patriae hoste ac proditore, utpote cui placuisset, quam urbem dei immortales voluissent et aeternam esse et arcem omnium gentium (cf. Liv. V. 54), eam dignitate ac splendore despoliare atque orbam debilitatamque deserere. Ne Antonium quidem recte dixeris id egisse, ut pro Roma Alexandream faceret imperii caput. Verbis, quae exstant apud Suetonium (vit. Caes. 79) „Quin etiam varia fama percrebruit . . . ." respondent, quae scripta vides apud Dionem (L. 3. 4) „τἄλλα τὰ θρυλούμενα." Eo minus autem Suet. verbis uti licet quasi praesidio ad illustrandum c. III. 3, quod hic sola de Troia agitur, contra Suet. tradit percrebruisse variam famam migraturum Alexandream vel Ilium.

8) vid. etiam Prutz: Göttinger Dichterbund p. 50.

desistant a sententia? Quanto minus ad immutandum tale consilium ibi carmen valuisse existimandum est, ubi ad arbitrium iudiciumque unius summa omnium rerum redibat! Quid quod exstiterant, qui dicerent a Maecenate, cum quid moliretur princeps, intellexisset, poëtam iussum esse carmen, de quo agimus, conficere ac demonstrare, eiusmodi consilium quam graviter Iuno latura esset? Faberus aliique non modo Maecenatem, sed etiam Agrippam[1]) confugientem facit ad Horatii lyram ab eoque petentem, ut quoniam ipsi non possent persuadere Augusto, ne teneret propositum, principem a sententia abducere conaretur. Sunt haec omnia ficta et commenticia eoque magis respuenda, quod quam maxime iis adversantur, quae de Maecenatis Agrippaeque cum Augusto consuetudine ac familiaritate exstant explorata. Quantae vero insipientiae est arbitrari hominis in re publica rudis praecepta monitaque plus valuisse apud Augustum quam spectatorum atque usu peritissimorum consilia!

Ottoni Ribbeckio[2]) quidem ad c. III, 3 recte intellegendum multum proficere videntur ea, quae Suetonius et Strabo[3]) de Iulio Caesare scribunt. Ipsum principem, ut cuius plurimum interesset pacato animo omnes esse cives, arbitratur mandasse Horatio, ut pro sua parte metum tolleret e civitate illis rumoribus afflicta et consternata. At quid tandem refert Strabo? Narrat Iulium Caesarem iuvenili incitatum impetu oppidulo Iliae favisse ac cupivisse et imitantem Alexandrum Magnum et recordantem suae originis.[4]) Hinc quoque putabimus repeti posse adjumenta ad tertii carminis explanationem? Atqui quod Caesar benevolum benignumque se praebuerat in Troianos, id fecerat, quod ut ex Iulia gente ortus suo iure facere videbatur[5]) tantumque aberat, ut hac re Romanorum animos offenderet iisque rerum novandarum suspicionem daret, ut omnium voluntatem ac studium sibi conciliare posset. Quis enim nescit coepisse Romanos cum antiquitus tum inde a primo bello Punico efferre sese origine ab Anchise tracta et hanc de ortu suo opinionem toto pectore religiosissimeque amplecti.[6]) Illud quoque constat Troianos ob eam rem, quam modo dixi, Caesari nec primo nec soli singulari benevolentia dignos esse visos.[7]) Si Augusto apud Suetonium aut apud quemlibet alium scriptorem cupiditas quaedam afficta esset penates deos laresque Troiam referendi, opinioni Ribbeckianae aliquid tribui posset. An vero inde, quod Suetonius narrat rumorem quendam divulgatum esse Caesarem „migraturum Alexandream vel Ilium translatis simul opibus imperii“ quodque Strabo mentione Augusti non facta id de Caesare tradit, quod supra commemoravi, suspicari licet interiecto post occisum Caesarem septendecim saltem annorum spatio — nam ante a. 727 carmen scriptum esse non potest[8]) — metu tum perterritos fuisse Romanos, ne quod perficere Caesar per vim prohibitus esset, id Augustus ad exitum adduceret? Et hercule, si exstitissent, qui ut Augusto nocerent, haec similiave sermonibus divulgarent, putasne futurum fuisse, ut ullam auctoritatem aut fidem

---

[1]) cf. Düntzer: Kritik und Erklärung der Oden des Horaz. Braunschweig 1840. p. 359.

[2]) Neues Schweizerisches Museum I. p. 142. sqq.

[3]) XIII. p. 509 ed. Mülleri et Dübneri. Paris 1853.

[4]) *ὁ δὲ Καῖσαρ καὶ φιλαλέξανδρος ὢν καὶ τῆς πρὸς τοὺς Ἰλιέας συγγενείας γνωριμώτερα ἔχων τεκμήρια ἐπεῤῥώσθη πρὸς τὴν εὐεργεσίαν νεανικῶς.* cf. praeterea Lucan. IX. 987—1000.

[5]) Preller: Röm. Mythol. p. 673.

[6]) Teuffel: Röm. Literaturgeschichte p. 450. Lucretius I. 1. 8. 648 appellat Romanos Aeneadas. Occurrit idem apud Ovidium Met. XV. 682. 695. Fast. IV. 161.

[7]) Liv. XXXVIII. 39 „et Iliensibus Rhoeteum et Gergithum addiderunt non tam ob recentia ulla merita quam originum memoria; eadem et Dardanum liberandi causa fuit.“

[8]) Anno 727 carmen compositum esse nec Frankius (cf. Weber: Horaz als Mensch und Dichter. Jena 1844 p. 271) nec Bambergerus l. l. satis probaverunt. Quod Frankius obicit Loebellio levitatem et indiligentiam, qui Medorum in v. 43 et 44 commemoratione impulsus voluerit anno 733 carmen confectum esse (cf. Raumers

haberent huiuscemodi rumores sive potius mendacia? Nullane porro alia re Augustus, quippe qui tum, cum scriptum est hoc carmen, summum potentiae, auctoritatis, honorum gradum teneret adversariis aut oppressis aut iacentibus, hominum mentes fictis auditionibus concitatas pacare potuit quam carmine fabuloso? Quod autem R. censet mandatu Augusti Horatium scripsisse hoc carmen, id eo minus credere licet, quod quae carmina rogatu Augusti fuderit, ex Suetonio cognosci potest. Audi vero, quid de ultima stropha R. senserit: „Durch den geheimnissvoll abbrechenden Schluss hat der Dichter den tieferen Sinn der Ode noch soweit angedeutet, als es mit seiner delikaten Aufgabe zu vereinigen war. Man fand nun schon von selbst, dass an jenen „sermones deorum," welche die verwegene Muse soeben ausgeschwatzt hatte, auch jene irdischen Götter stark betheiligt waren, an deren Kabinet die neugierige Menge so gern lauschte und um deren Nähe Horaz so beneidet und belästigt wurde." Quam explicationem etsi legebam ac relegebam, tam hebetem tamque surdum me esse profiteor, ut quid haec verba sibi velint, quo pertineant, intellegere nequeam; tam occulta, tam secreta, tam arcana mihi videntur. Vellem Ribbeckio placuisset illud „magna modis tenuare parvis" vel paucis illustrare, ut qualis haec Musa esset, quae invenusta loquacis cuiusdam anus specie ab illo videtur adumbrata, melius cognoscere nobis liceret.

Neque vero magis sobrie atque considerate interpretis munere functus est Ritterus. Is quoque existimat perstringi illud Troiam transferendi imperii consilium; huius vero rei auctorem non Augustum exstitisse, sed quosdam senatores. Quae quam perniciosa esset publicae saluti, nec Augustum nec Maecenatem nec Horatium effugisse. Pro patriae igitur caritate morumque integritate poëtam invectum esse in illos, qui istud suasissent. „Sic intexuit episodium illud a primario carminis proposito non alienum, impugnandae sententiae a gravibus auctoribus ut videtur prolatae non ineptum, novitate φαντασίας poëticae multum gratiae et honoris habiturum." Quaerenti autem, unde haec coniecta sint, respondet R.: „Quamquam historiae monumenta tacent, Flacci verba apertiora sunt, quam ut vera ratio latere possit." Arrisit haec opinio mirum quantum Roedero;

---

historisches Taschenbuch 1834 p. 280), recte ille quidem. Sed eandem vituperationem Frankius non in hoc uno carmine subiit. Etenim ut ex v. 43 et 44 nihil certi conici licet, ita haud recte ex v. 45—48 et 53—56 colligitur attingere Horatium ea, quae Augustus a. 727 aut gesserit aut gerere pararit. Nihil, opinor, impedit, quominus his versibus deam omnes orbis terrae regiones describere statuamus, cuius rei haud pauca inveniuntur exempla. Sen. Herc. Oet. 1521

Dic sub Aurora positis Sabaeis,
Dic sub Occasu positis Iberis,
Quique ferventi quatiuntur axe,
Quique sub plaustro patiuntur Ursae.

id. Hippol. 285 sqq.
Lucan. I. 15.

Unde venit Titan, et nox ubi sidera condit,
Quaque dies medius flagrantibus aestuat horis,
Et qua bruma rigens ac nescia vere remitti
Adstringit Scythico glacialem frigore pontum.

Praedicit Aeneae Sibylla apud Tib. II. 2. 57.

Roma tuum nomen terris fatale regendis,
Qua sua de caelo prospicit arva Ceres.
Quaque patent ortus, et qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.

Similia exstant apud Ovid. Trist. IV. 9. 19; Prop. IV. 22. 2—16; cfr. etiam Paneg. in Messallam 134—148. Neque vero magis sobrium est, quod alii de certo quodam anno statuendo excogitaverunt. v. infra.

tantum vero interest inter eum, qui occultam illam atque involutam rem sagaciter aperuit, eumque qui dictata recinit, ut hic neget oportere de „episodio“ cogitari; Augustum enim, quod senatoribus patriae parum amantibus quam acerrime restiterit constantemque se praebuerit, iustissimis constantiae laudibus efferri.[1]) Quamquam sane ea, quorum fundamenta tamquam in aqua posita sunt, ipsa sese elevant nec indigent refutatione, quaerere tamen licet ex illis, qui alucinantur suasisse senatores quosdam, ut imperium alio transferretur, qua re moti sint, ut eiusmodi rogationem ferrent. Illud quoque scire debebant peracuti illi rerum reconditarum ac latentium investigatores omnes rogationes, quae a. 727 et postea promulgabantur, nihil aliud fuisse nisi imaginem quandam earum rerum, quas Augustus moliretur, consultumque esse senatum in servitium magis magisque ruentem non quod patrum suffragia quidquam valerent ad res gerendas, sed ut libera res publica stare videretur.

Restat, ut dicam de Kolsteri opinatione, qui quidem imperii translationem tangi arbitratur, sed non ita tangi, ut poëta Iunonem, ne quid fiat, interdicentem inducat. Appellat K. deae orationem „oraculum post eventum;“ prohibuisse Iunonem in Orientem imperium transferri, quod futurum fuisse, si Antonius victoriam apud Actium adeptus esset; deae auxilio Octavianum superiorem discessisse, qua victoria factum esse, ut Roma arx praesidiumque orbis maneret; hoc laetari, hoc canere Horatium. Est huic interpretationi cum iis, quas pertractavimus, imprimis id commune, ut firmo quodam ac solido firmamento careat; etenim profecta est, unde non debuit proficisci. Verum esto: fuerit id, quod apud Dionem exstat, plus quam rumor: nonne qui Kolstero assentitur, perobscuras verborum ambages de victoria Actiaca iecisse poëtam arguit,[2]) nisi ostendit alios quoque eandem inversionem, ut alia relinquam, in nominibus Paridis Helenaeque adhibuisse atque Horatium?

Transeo nunc ad aliud interpretationis genus, cuius dux et quasi signifer est F. A. Schulzius.[3]) Is hoc egisse existimat poëtam, ut cum Augustum ea, qua par erat, laude ornaret hortareturque, quam semel viam administrandae civitatis ingressus esset, ut ne ab illa declinaret, tum imprimis ut, quantum posset, Romanorum voluntates ac studia Augusto conciliaret moneretque eos, ne rem publicam in pristinum statum restitui vellent; restituta enim, quae ante Octaviani dominationem fuisset,

---

[1]) Corollarium Venusinum. Cöslin 1869 p. 15; haud dissimilia iis, quae Roederus finxit, inveniuntur etiam apud Kreusslerum. cf. observat. crit., quibus G. Hermanno diem natalem gratulata est societas Latina. Lipsiae 1839 p. 7.

[2]) cf. Jahns Jahrb. 1857 p. 507. „Ist denn auch Alexandria nicht Troja, und Aegypten nicht Kleinasien, so muthete doch der Dichter dem Nachdenken seiner Leser gewiss nicht zu viel zu, wenn er in der fraglichen Ode verlangte, dass sie in der Hauptstadt Aegyptens die Repräsentantin des Orients sehen sollten.“ Nititur tota Kolsteri interpretatio Dionis verbis L. 3. 4, non de re comperta, sed de levicula auditione l. l. agi iam supra dixi. Quae autem causa sit, cur nobilem Augusti apud Actium victoriam Horatius in hoc carmine ambigue ut alter Euphorio cecinerit, cum de eodem triumpho in carminibus multo ante emissis (v. c. I. 37, ep. IX.) aperte et libere dixerit, deus viderit.

Multo confidentius hac de re scripsit Geibel. cf. quae annotavit ad hoc carmen in lepido illo libello, quem inscripsit: „Klassisches Liederbuch,“ p. 157: dies . . . Gedicht feiert den Sieg August's über Antonius, der sich mit dem Gedanken getragen hatte, ein oströmisches Reich mit der Hauptstadt Troja aufzurichten.“ Usus est vir illustrissimus, qui ut est summus poëta, sic principem inter nostrates, qui carmina Horatiana converterunt, obtinet locum, effrenatiore quadam poëtae licentia. Etenim non modo ea, quae Dio incerta ac vaga appellat, certa ac stabilia arbitratur, sed affingit illi rumori, cuius rei nec vola nec vestigium usquam apparet. Quid tandem est, quod putemus Antonio Troiam visam esse dignam, quam faceret novi imperii sedem? Quid eius intererat Troiam pervenire ad summam auctoritatem amplitudinemque? Cum igitur rumores, quorum Suetonius et Dio faciunt mentionem, habeant aliquid verisimile, id quod G. excogitavit, multo levius est quam pluma.

[3]) Ueber Veranlassung und Absicht von III. 3. Duisburg 1831.

libera re publica bella civilia oritura esse; rem publicam ipsam multo labore et sanguine civium quasi a morte revocatam non diu permansuram, sed brevi interituram esse. Cui explicationi quam maxime convenire ultimam stropham. „Horaz nimmt nur den Schein an, als habe der Inhalt, der eigentlich zu gross für sein Gedicht sei, ihn unwillkürlich fortgerissen. Der Zweck der Strophe ist, das innige Interesse, das der Dichter an dem Inhalt hat, den er in der Ode darstellt, und den Ernst, der in der Ode liegt, anzudeuten.[1])"

Ac primum quidem iure meritoque nobis quaerere videmur, num quis rem sibi maximae curae esse eiusmodi genere loquendi declaret, ut fingat materiam se attigisse, ad quam accedere non debuerit. Deinde hac in re Sch. errat, quod ponit Horatium cum aliis rebus tum illa impulsum esse ad hoc carmen scribendum, ut principis animum a consilio deponendi magistratus abduceret. Constat enim Augusto prorsus non fuisse in animo recedere a gubernaculis, sed, ut erat callidus, simulatione eum usum esse, unde fructum utilitatemque sese percepturum speraret.[2]) Agrippam Maecenatemque primum in consilium adhibuerat, ut quid sentirent, ex iis sciscitaretur,[3]) sed priusquam consiliariis suis rem tamquam diiudicandam proponeret ad senatumque quasi nihil opinantem referret, ei certum erat imperium potentiamque retinere;[4]) etiam illud, quid senatus esset responsurus, multo ante quam in curia verba faceret,[5]) cognitum habebat. Horatius si scisset pendere animi Augustum, utrum rei publicae praeesset an privatus viveret populo rege, idem si timuisset, ne si princeps clavum imperii populo reddidisset, omnia turbarentur ac miscerentur, non amphibolias aucupatus esset, non ambagibus usus esset, ut Augusti cogitationem a proposito averteret, sed aperto planoque genere dicendi. An iniuria loquimur de amphiboliis atque ambagibus, cum ne levissimo quidem testimonio Sch. probarit potuisse illa aetate homines si minus perspicue cognoscere, at tamen coniectura perspicere, quo haec de Troiae excidio fabula valeret? Iam vero quis pro certo affirmaverit iniucundum futurum fuisse Horatio, si Augustus promissi memor talem rei publicae modum formamque

---

[1]) p. 16. — [2]) Cass. Dio LIII. 2. 6. — [3]) id. LII. 2—42. — [4]) id. LII. 41. 1.

[5]) Orationem apud senatum habitam (cf. C. D. LIII. 3—11) qui attentius perlegerit, eum vix fugere poterit Augustum, quamquam paene submisse se gerat, tamen nihil aliud facere nisi ea, quae gesserit, magnopere extollere, maiores expetere honores ostendereque neminem se esse magis idoneum ad civitatem administrandam. Aliter eum sentire, aliter loqui omnes, qui aderant in senatu, non ignorabant. Quae oratio quantum valuerit apud senatores, belle atque eleganter descripsit atque depinxit Dio (LIII. 11). Ut enim principi demonstrarent se plane intellexisse, quid sibi esset faciendum, decreverunt ei statim novos ac maiores honores, quam quibus iam florebat; eodem anno etiam Augusto cognomen ei datum est (C. D. LIII. 16. 6). — Fictas esse et commenticias Agrippae ac Maecenatis orationes, quibus quid Dio secutus sit, subtiliter disseruit Rothkegel (cf. Einige Betrachtungen über die Rede des Mäcenas bei Cassius Dio. Gross-Strehlitz 1873 p. 4 sqq.), pro certo et explorato est habendum. Verumtamen id negari non potest patere his orationibus, quid de Octaviani dominatu a. 727 senserint homines. Vehementer errat, qui putat haesitasse Octavianum, utrum perseveraret praeesse civitati an otio dulci perfrueretur. Recedendi a gubernaculis imperii cogitationem iam diu ille quidem abiecerat. vid. Hoeck: Römische Geschichte vom Verfall der Republik bis zur Vollendung der Monarchie unter Constantin I. I. p. 1. Quamquam, ut probaret nec Antonium iure ipsi obiectasse nec adversarios nonnullos obiectare regnandi cupiditatem et periurium (Suet. vit. Aug. 28.), eo minus descendere dubitabat ad simulandam fidem, continentiam satietatemque rerum summae administrandae, quod idoneam sibi videbatur nactus esse occasionem augendae potestatis atque auctoritatis. Neque vero dubitandum est, quin Maecenatem Agrippamque, priusquam verba faceret in senatu, adhibuerit ad consilium, ut et audiret, quid ipsi censerent et per eos senatorum animos tentaret (LIII. 2. 7.) Omnium enim consensu si imperium ad se et nolentem et recusantem denuo delatum esset, sperabat fore ut adversarii non auctoritate opibusque, sed lingua potentes prorsus obmutescerent.

constituisset, qualem ut constitueret, Dio Agrippam suadentem inducit?[1]) Non erat ille quidem alter Cato, cui victa causa plus placeret quam victrix deis; antiquum rerum statum non ita tenebat amplexus, ut nisi in libera re publica vivere nec vellet nec posset, sed haud iure fit, ut docti homines eum quasi praeconem Augusti dominatus vocitent. Complectenti animo ea, quae scripsit, quaeque apud Suetonium de eo sunt scripta, rectius mihi videtur occupare nomen rei publicae liberae amici quam regii imperii fautoris atque propugnatoris. Etenim ingenue libereque profitetur se a Bruti causa stetisse; quotiescunque eorum, quibuscum libertatem defenderat, facit mentionem, nunquam nisi honorificentissime commilitones commemorat neque laborat, utrum haec dicendi libertas Augusti aures laedat pungatque necne.[2]) Nusquam regalem rem publicam dominationemque laudat commendatve ut optimum rerum statum. Summis laudibus effert principem, qui cum prudenter ac sollerter summam rerum administret libertatis imagine relicta atque specie quadam pristinae rei publicae conservata[3]) tum vero moribus ornet, legibus emendet civitatem veteresque revocet artes; ut homo Romanus maximo opere celebrat nomen Augusti, quippe qui res Italas armis tutetur cuiusque virtute fama et imperii maiestas crescat et augeatur. Huc accedit, quod et laeto et grato animo semper meminit eum, penes quem summa est omnium rerum, non alienum esse a poësi atque bonis poëtis artificibusque et adiutorem et fautorem exsistere. Neque vero illud praetermittendum est carminum sollennium, quibus vel splendidissima principis virtutum praeconia mandavit, unum alterumque non sua sponte scripsisse poëtam, sed vel Maecenatis mandatu impulsuque vel principis rogatu, cui petenti homo ad unguem factus nonnunquam morem gessit.[4]) Licet igitur multum ac saepe Augustum laudaverit atque ornaverit, ex scriptis poëtae concludi nequit antiquum liberae rei publicae statum adeo ei fuisse odio, ut omnes nervos sibi contendendos existimaret, ne in integrum restitueretur.

Alia quoque contra Schulzium possunt proferri. Arbitratur enim, quo tempore carmen scripserit Horatius, non posse pro certo affirmari. At id minime dubium est, quin ante a. 727 non prodierit in lucem. Mitto, quod tum iam non fuit, cur Horatius pacificatorio quodam munere fungeretur; at in hoc fungendo si quid proficere vellet, non ambigue, sed aperte ei fuisse dicendum, quis neget? Illud vel maxime urgeo, quod Sch. censet Horatium, ubi audiverit Augustum consilium cepisse magistratus deponendi, hoc carmen composuisse, ut principem oraret, ne patriam orbam relinqueret. Cui enim non auditum est Octaviano nomen Augusto inditum esse, quo nomine princeps in hoc carmine appellatur, postquam in senatu simulavit velle sese magistratu abire et in otia tuta recedere?[5]) Nisi ea re, quod poëta principem Augustum appellat, prohiberemur statuere ante a. 727 scriptum esse carmen, conici liceret poëtam, cum a Maecenate audivisset malle principem otiose vivere quam molem imperii sustinere, rei publicae saluti magnopere timentem omnibus precibus ab illo petisse, ut fatale illud funestumque consilium abiceret. Quamquam, si Maecenas tam verus ac sincerus erat amicus, ut Horatio locupletissimus auctor videri debebat earum rerum, quae ab Augusto instituebantur, nescio an nemo melius quam Horatius potuerit cognoscere omnes istos rumores meras esse nugas

---

[1]) LII. 2 sqq. — [2]) cf. quae Funkhaenelius scripsit de c. II. 7, (Zeitschrift für das Gymasialw. 1851 p. 405) et quae ego disserui de c. I. 12 ibid. 1867, p. 615; vid. praeterea Teuffelii commentat., quam inscripsit: „Ueber Horaz" p. 5 et p. 36, ubi quid Otto Jahnius hac de re senserit, cognosci licet.

[3]) Cass. Dio LVI. 43; Hoeck l. l. I. p. 397.

[4]) Ingeniose scribit Teuffelius: „Wo Horaz positiven, dringenden Aufforderungen sich nicht zu entziehen vermochte, da fühlt sich die äussere Nöthigung in der Haltung des betreffenden Gedichtes sehr deutlich durch." cf. Ueber Horaz, p. 5.

[5]) vid. p. 9 not. 5.

atque alucinationes, Maecenatis, familiarissimi sui, consilium Augusto magis arrisisse quam Agrippae neque omnino cogitare principem reddere populo principatum atque imperium.

Cur Horatius tam obscure tamque contorte dixerit, quam quaestionem Sch. omnino non attigit, Bambergerus exponit, qui ut Schulzii interpretationem ne verbo quidem commemoravit, ita Troiam in hoc carmine idem valere contendit, quod pristinum rei publicae statum, quem ne restitueret, principem vehementer etiam atque etiam moneri. Is igitur censet circuitione et anfractu usum esse Horatium, quod Augustus noluerit interitum atque occasum liberae rei publicae iactari atque memorari. Nonne vero Horatius, si vel a paucis intellegebatur Troiae vocabulo in hoc carmine significari liberam rem publicam, id fecit, quod fieri Augustus gravissime ferre debebat? Quid quod B. existimat facillime tum homines, quid tangeret poëta hac fabula, sensisse? Quod unde derivari atque erui possit, omnino nihil B. affert. Sin autem a Romanis non perspectum est latere sub voce Troiae liberam rem publicam, surdis auribus cecinit Horatius fabulam. — De ultima stropha haec est Bambergeri sententia: „Der Schluss ist künstlich und künstlerisch; er könnte mehr sagen, wenn er wollte; doch überlässt er es dem Leser nachzudenken.“ Hoc autem concesso poëtae verba a Romanis ita intellecta esse, ut B. intellexit: nescio, quid ad ea, quae iam de tristi rei publicae liberae fato dixerat, addi potuerit

Multo acrius autem Bambergero Pluessius defendit monere poëtam oratione Iunonis, ne libera res publica restitueretur.[1]) Troiae vocabulo pristinam rem publicam declarari eos effugere non posse, qui sciant nomine illo tum liberam rem publicam notari solitam esse. Quam et Troiae et totius carminis interpretationem et necessariam esse et simplicem et rectam quo melius intellegamus, P. nos reicit ad commentationem illam, quam inscripsit: „Wunder und Zeichen in der römischen Chronologie.“[2]) Ibi p. 394 haec videmus scripta: „Deutlicher kann man sich diesen Vergleich — nämlich die republikanische Verfassung mit dem alten Troja — nicht wünschen, als wie ihn Horaz in III. 3 anwendet.“ His verbis equidem indicari video alibi obscuriorem esse hanc comparationem. Cur vero ex c. III. 3 vel maxime appareat Troiam idem valere ac liberam rem publicam[3]) hanc esse causam P. existimat: „weil in die sechs grossen Haupt- und Staatsoden nicht eine Warnung vor dem Wiederaufbau Trojas, oder wenn so etwas dastände, vor dem Leichtsinn und der Wortbrüchigkeit der Trojaner hineinpasst.“[4]) Hanc conclusionem nimis spinosam esse non dubito profiteri. Praeterea cur Pluessius ex numero carminum, quae inscripsit: „Politische und sittliche Ideale im neuen Reiche des Augustus“ excludendum censeat carmen, quo haud pauci volunt moneri Romanos, ne se inquinent ac polluant fraudibus, dolis, incestis flagitiis, eo minus intellego, quod sextum carmen negat suae de his carminibus opinioni reclamitare, quamquam haud obscure confitetur spectare sextum carmen ad civium mores emendandos.[5]) — Videamus vero, num alibi apud Horatium Troiae vel Ilio haec vis subici possit, quam P. huic voci in c. III. 3 subiecit. Nititur enim vir doctus etiam carmine secundo libri primi ut testimonio: „Auch hier ist die sichere Weltherrschaft geknüpft an die Bedingung der Unterwerfung unter die Monarchie; und ebenso klingt hier laut der Vorwurf heraus, dass die Bürger sich morden um eines Scheines willen, unter dem Namen Cäsars und der trojanischen Ab-

---

[1]) Politische und sittliche Ideale im neuen Reiche des Augustus. vid. Jahns Jahrb. 1872 p. 67 sqq.; p. 74 „heute aber bedeutet Troja den heillosen Anlass der Bürgerkriege, die verrottete alte Republik mit ihren Parteien.“

[2]) cf. Jahns Jahrb., 1871 p. 385 sqq.

[3]) p. 395. „Das Troja der kriegslustigen Quiriten sind die guten alten Zeiten der römischen Stadtbürger, die Republik vor der Kaiserzeit.“ — [4]) ibid.

[5]) „Frömmigkeit und Ehrbarkeit ist das Thema der sechsten Ode“ p. 395.

stammung, um Ilia und Ilios: denen ist längst Genüge geschehen."[1]) Nonne autem haec affectata quaedam et parum naturalis interpretandi ratio dicenda est? Nolo longius persequi, quot difficultatibus refertum sit cum totum carmen illud tum v. 17 — 20, quos P. haud scio an maxime respiciat; quam foedis naevis carmen sit adspersum, a Lehrsio[2]) aliisque luculentissime est demonstratum. Neque vero desunt, qui negent datum esse hoc carmen ad Octavianum ultimumque versum ita emendent, ut „Caesar" — facit sane haec hoc loco Caesaris commemoratio iustam mirationem — ex carmine tollatur.[3]) Ut nonnullis locis depravatum est carmen maculis, quas nec Horatii incuria fudit nec parum cavit poëtae natura, sic res, de qua agitur, tam lucida est tamque perspicua, ut argutiis nihil sit loci. Patriam civili tumultu ad interitum paene vocatam atque insuper prodigiis ostentisque perterritam ac vexatam misericordiae deorum commendat poëta; quorum quicunque voluerit respicere gentem Romanam, hanc ut erigendam tuendamque suscipiat, magnopere orat. Cives civibus bellum intulisse, divisam esse nobilissimorum virorum ambitione misera gravique rem publicam, quae coniuncta dignitatem maiestatemque nominis Romani conservare atque augere debuerit, id et hoc loco et alibi dolet, id luget, id conqueritur; non debuisse vero pro libertate rei publicae pugnari aut obviam iri scelestae illi singulorum cupiditati prostratam patriam liberosque cives gravi dominatu premendi nusquam Horatius dixit.

Etiam illud quaeri potest, cur Horatius solus et in his carminibus solis voci Troiae hanc vim subiunxerit. Omnes fere Horatii aequales iisdem prope verbis de excidio Troiae loquuntur neque apud Ovidium aut Propertium aut Vergilium,[4]) quorum quisque in novo rerum statu facilius acquievit

---

[1]) p. 395. — [2]) p. 53; v. etiam, quid sentiant de I. 2 H. Schmidt (Z. f. d. Gw. 1870 p. 50) et Trompheller: Beitrag zur Würdigung horaz. Gedichte. Coburg 1855 p. 7.

[3]) Schaper: de eclog. Vergilii interpret. et emend. Posen 1872 p. 10; Lehrs ad I. 2; Martin: de aliquot Horatii carminum ratione antistrophica et interpolationibus. Posen 1865 p. 9. Ibidem invenies, quomodo et Martinus et alii ultimum versum sanandum censeant.

[4]) Etiam apud Vergilium Aen. VI. 840 hanc Troiae interpretationem et commodam esse et parum claris dare lucem Pluessius existimat. Consulto enim transire poëtam a Camillo (v. 825) ad Caesarem et Pompeium, ab his ad Aemilium Paulum. „Die Worte über den Aemilius Paulus gehören noch mit in den Gedankenzusammenhang der Warnung vor den Bürgerkriegen, sie sind noch halb an Caesar gerichtet, sie sollen nicht die Person des Helden von Pydna feiern — sonst würde auch der Name genannt sein — sondern die That, die Rache Trojas an Griechenland sollen sie darstellen und gegenüberstellen den Bürgerkrieg Caesars . . . Auch hier ist Troja die Parole für die Bürgerkriege, auch hier mahnt der Dichter: „Lasset die Todten ruhen." cf. quam supra commemoravi commentationem: Wunder und Zeichen etc., p. 396 sqq. Id assentior Pluessio non opus esse v. 826 sqq. sua sede pulsos ibi collocare, ubi Ribbeckius (vid. prol. p. 64) eos vult constitui. Potuit etiam Gebhardius supersedere Anchisae orationem ita digerere, ut temporum aetatumque ordo conservatus videatur. v. Z. f. d. Gw. XXVIII. p. 803 sqq. Hic quamvis ima summis commutaret, ultima primis praeponeret, tamen non effecit, ut omnia in unguem, ut dicunt, quadrent. cf. lucidam Haugii commentationem ibid. XXIX. p. 485. Equidem censeo cuiusque anni ordine diligentissime observato ea, quae Vergilius Anchisen facit loquentem, orationi solutae futura fuisse propiora quam poësi. Pluessius illud magni momenti esse putat, quod Persei regis victor non appellatur nominatim; id vero qui potest mirum esse, cum haec circumlocutio poëtarum propria sit? In eadem Anchisae oratione nec secundus Romanorum rex nec is, qui Corinthum devicit, nominatim memorantur. Quam apta sint verba „ultus avos Troiae" (v. 840), quae eodem spectant atque „caesis insignis Achivis" (v. 837), iam Heynius docuit. cf. etiam Aen. I. 284 et Burmanni Anthol. I. 117. Ex huiuscemodi igitur indiciis ac versibus qui colligit poëtam monere, ne res publica restituatur, is serpentis Epidaurii videtur oculos habere. Rectius forsitan dixeris hos versus testimonio esse liberae rei publicae amoris reliquias tum, cum haec scripserit Vergilius, in eius mente resedisse. cf. quae non inscite monuit Haugius l. l. p. 486. Postremo cur hoc uno loco Vergilius Pluessio videtur vocem Troiae ita usurpasse, ut nisi ei subiunxeris vim ac notionem rei publicae antiquae, aqua haereat? Alia enim

Horatio, interpretum cuiquam nomen Troiae eum sensum habere visum est, quem P. l. l. voci Troiae subesse et vult et pugnacissime defendit. Ad talem Troiae interpretationem, quam nullo testimonio fulcire ac stabilire quisquam potest, cur confugiamus, nihil esse intellego.

Hac autem explicatione Pluessium aliis erroribus implicari necesse erat. V. 49 — 52 ut obstrepentes carminis argumento censet exturbandos: .....der Gedanke für sich hat nur als Sentimentalität einen Sinn. .....Moralische Bedingungen stellt Juno überhaupt nicht. .....Politische Anforderungen stellt die Göttin; zu Anfang und zu Ende grade dieser 5 Strophen wiederholt sie es: lasst Ilios in Schutt und Staub: richtet die Parteiherrschaft der Bürgerkriege nicht wieder auf. Jener Gedanke tritt fremdartig in den Kreis politischer Ideen, er trennt störend grade die beiden Hälften der Verheissung mitten von einander. ........ Hoc quidem Pluessius rectissime posuit nec laudis nec condicionis quidquam in his versibus inesse, quos alii quoque interpretes exsulare iusserunt, quamquam aliter de carminis argumento senserunt. Nonne vero mirum est eundem Pluessium, qui dicit: „Wer unsere Ode moralisch erklären will, versinkt rettungslos in den wüsten Chaos unzusammenhängender Phrasen oder geräth auf Peerlkampsche Mordgedanken,“ [1]) si non tot strophas exterminat, quot is, qui, ut Lucani verbis utar, gaudet viam fecisse ruina, at certe unam extrudere atque eicere, quamquam negat Horatium hoc carmine civibus praecepisse, quid fugerent, quid expeterent? Ironia quadam usus haec addit: „Es thut mir fast leid, dass zu diesen logischen Gründen der Verwerfung noch der aesthetische, die Symmetrie der Strophenzahl, hinzukommt.“ Quasi vero si symmetriae, quam

---

exempla ex Vergilio desumpta non commemoravit. Ac miror profecto, quod nos non reiecit vir doctus ad Verg. G. I. 502 sqq., qui locus ei nescio an tantum praesidii afferat ad opinionem suam admodum confirmandam, quantum nullus alius. Canit autem Vergilius:

498 Di patrii, Indigetes, et Romule Vestaque mater,
500 Hunc saltem everso iuvenem succurrere saeclo
Ne prohibete! Satis iam pridem sanguine nostro
Laomedonteae luimus periuria Troiae.

At qui putat non opus esse ab interprete remotissima quaeque argute conici, ei poëta, ut est homo religiosus, nihil aliud dicere videtur nisi illud, omnia mala, quibus tum oppressa iaceret civitas, fluxisse in patriam populumque ex Laomedontis impia necdum satis expiata fraude. Similiter Hor. ep. VII. dicit manasse publicam calamitatem ex sanguine fraterno a Romulo nefarie profuso.

[1]) Peerlkampus v. 17 — 72 ut ambitiosa ornamenta grammatici nescio cuius recidit; non cohaerere Junonis orationem cum iis, quae praecedant; praeterea tam multa offendere, ut huiusmodi portentum ab Horatio confectum esse non possit. Jure iniuriane negaverit Aristarchus Batavus v. 17 — 72 coniungi posse cum versibus, qui praecedunt, rectene an falso tot versus reprenderit inertes, culpaverit duros incomptosque, infra disseremus. Habet Peerlkampus non paucos imitatores. Nam Heynemanno quoque carmen nimis longum videtur. cf. eius dissertat., quae est de interpolationibus in carminibus Horatii certa ratione iudicandis. Bonn 1871 p. 70. Qua de causa ita sibi persuaserit, explicare supersedit. Forsitan putaverit posse hoc facile intellegi ex iis, quae p. 14 exposuit. Sunt illa quidem ut in universum recta, ita non nova et quodammodo laxiora, id quod non inscite monuit Teichmueller. cf. die Aufgabe der ästhetischen Würdigung der horaz. Gedichte. Wittstock 1874 p. 14. cf. etiam, quae de Horatio iudicando scripsit Merguetius. Jahns Jahrb. 1870 p. 143. Sed nequaquam impediunt illae leges, quominus hos versus Horatianos existimemus; immo qui normam probaverit, quae placet Heynemanno, abhorrentes esse ab Horatii ingenio v. 37 — 72 negabit; idem dici potest de I. 12. 37 — 44, I. 31. 9 — 12, I. 6. 13 — 16 quas strophas injuria damnat expellitque; contra assentior ei censenti v. I. 31. 13 — 16 Horatio plane indignos esse. cf. quae ego scripsi de I. 12 Z. f. d. Gw. 1867. p. 615 sqq., de I. 31 ibid. 1868 p. 613 sqq., de I. 6 ibid. 1868 p. 614 sqq. — Lehrsius vero (cf. etiam Jahns Jahrb. 1864 p. 178) inde a v. 45 omnia fluere lutulenta ratus subsistit in voce „Medis“ v. infra. — Hi omnes autem continentes dicendi sunt prae Gruppio, qui ita desaevit in carmen tertium (cf. Aeacus p. 449 sqq.), ut exceptis duobus versibus totum carmen tollat.

dicunt, rationem ducere volueris, partium convenientia tollatur versibus 49 — 52 integris et inviolatis. Quid quod hac una stropha exstirpata partium congruentia et aequalitas non tam efficitur quam dirumpitur? Etenim lucidior, credo, est illa convenientia pari quam impari stropharum numero rectiusque a versu 57 quam a versu 65 orditur illud, quod appellant „Abgesang," qui symmetriae suae plurimum tribuunt strophasque vocant ad calculos carmina, quoad ratio constet, resecantes atque castrantes.[1]) — Neque vero, quae de ultima stropha P. disseruit, multis probabuntur. „Die feierliche Verfluchung Trojas ist ausgesprochen; da besinnt sich der Sänger: nein, das ist kein Stoff für die der Freude gewidmete Leier." At Musae quasi laetitia exsultanti nec id carmen convenit, in quo dea fingitur exsecrans in Troianos nec reliqua quinque carmina, quae admirabili divinaque arte P. cum tertio conexa censet. Cur vero nisi in tertio carmine non confitetur poëta attigisse se aliquid, quod canere non debuerit? Quo quis amplius atque gravius, opinor, argumentum huius carminis existimat, quo artificiosius putat carmen compositum esse, eo minus concedere potest poëtam fateri in exitu debuisse sese abstinere a cantu.

Eorum, quae contra Schulzium, Bambergerum Pluessiumque dixi, multa quadrant in Kieselii interpretationem,[2]) qui quamquam in limine opusculi[3]) eorum carpit temeritatem, qui Horatii explicationem non ad carmen ipsum dirigunt, sed ad ipsorum opinationem, in eundem incidit errorem. Putat autem K. moneri principem hoc carmine, ne indulgeat iis, a quibus iubeatur imperium deponere.[4]) Nulla autem alia re nisi patriae amore impulsum esse poëtam, ut quid sui esset consilii, aperiret; timuisse enim, ne si Augustus perseverasset in sua sententia, illa tempora redirent, quibus omnia nascerentur vitia, quae civitatem Troianorum perdidissent.[5]) Hanc rectam veramque esse interpretationem inde quoque posse intellegi, quod in sexto carmine eadem vitia castigentur ac damnentur

---

[1]) Melius stropharum aequalitatem effinxisse putandus est Prienius, acerrimus propugnator symmetriae. vid. Rhein. Mus. XIII. 363; cf. praetera: Die Symmetrie und Responsion der sapphischen und horazischen Ode. Lübeck 1865. Is septimam et tertiam decimam stropham a librario male sano carmini insertam esse contendit, quas si sustuleris, partium convenientiam nitere. Non posse autem dubitari, quin strophae, quas nominavi, adventiciae sint; quid enim aliud esse callum quoddam obducere verborum rusticitati et ieiunitati, si hoc non est ferre istud „adulterae famosus hospes" „Hectoreis opibus" ut ab Horatio dictum? Vellem Prienius si non fusius, at certe paucis exposuisset, cur haec intoleranda sibi viderentur, sicut aperuit, quid in tertia decima stropha se offenderet. v. infra. Equidem confiteor non magis me perspicere, quid sit perversum in septima stropha, quam qua in re consistat symmetria, si quis quaternas strophas dicat efficere carminis totius partem de sententiarum contextu minime laborans. Veluti strophas 15. 16. 17. 18 P. satis habet quartam atque ultimam partem carminis appellare; quid vero ultima stropha in hac parte carminis vel in toto carmine sibi velit, frustra quaeris apud Prienium.

Symmetriae Horatianae defensores quantum discrepent inter sese, aliud liceat afferre exemplum. Hoelzerus tertiam stropham in c. I. 12 delendam putat, ut congruentia et aequalitas splendeat. vid. Z. f. d. Gw. 1866 p. 659; Christium contra si audis, (cf. Metrik der Griechen und Römer. Leipzig 1874 p. 639) nihil tolli debet. „Ein anderes merkwürdiges Beispiel bietet ..... I. 12, welches der venusinische Verskünstler nach dem Vorbilde der zweiten olympischen Ode des Pindar so dichtete, dass er von den 15 Strophen immer je 3 zur Einheit einer triodischen Gruppe verband." — Quantopere dissideant in elegorum poëtis subtiles illi ratiocinatores, copiose docet Bubendey in libello: Die Symmetrie der röm. Elegie. Hamburg 1876. cf. imprimis cap. XXII. Haud pauca mihi placuerunt, quae Boltzenthalius in commentatione de re metrica et de genere dicendi Albii Tibulli (Cüstrin 1874) contra symmetriae Tibullianae propugnatores scripsit.

In proximo philologorum conventu cognitum est ad solutam quoque orationem pertinere symmetriam; nam apud Platonem Hugius, Prienius apud Thucydidem illam sese deprehendisse sunt professi. Habeant sibi nova miracula, dum ne Procrustae more recidant, quae longiora videantur.

[2]) De Horatii carmine Iustum et tenacem commentationem scripsit Carolus Kiesel. Düsseldorf 1845.

[3]) p. 3. — [4]) p. 13. — [5]) p. 15.

quae in tertio.[1]) Opus est, credo, Lyncei oculis, ut et ex Horatio ipso et ex Kieselii explicatione in utroque carmine plane eadem vitia notari ac vituperari cognoscas. Verum esto: acerrime illud et viderit K. et argumentatus sit: num illa scelera ac flagitia, quae sagacissime in c. 3 et 6 vir doctus odoratus est, nisi in re publica libera non proveniebant? Num porro Horatius in sexto carmine modo labentis rei publicae labem atque maculam depinxit? Immo effingit illud carmen perversos ac sceleratos mores, qui a. 727 admodum vigebant. Hoc autem anno, si Kieselium ducem sequi volumus, etiam sextum carmen in lucem prodiisse concedamus necesse est. Ac profecto illo tempore, quamquam unius Augusti nutu ac potestate omnia gerebantur, Romanorum civitas cum aliis vitiis tum libidinosae incestaeque vitae maculis adspersa et inquinata erat.[2]) — Illud quoque K. illustrandum sibi putavit, cur poëta non aperte, sed tecte dixerit. Ei visum esse arrogantiae nimis magnae libere profiteri, quid sentiret; accedere quod tum modo fama fuerit velle Augustum populo potestatem summamque auctoritatem reddere. Quam inconsiderate illud dictum sit, cum Horatius hoc carmen scripserit, rumoribus esse iactatum habere Augustum in animo populo civitatem permittere gubernandam ac regendam, supra exposuimus. Fac autem non errare Kieselium, cum dicat manasse tum per compita rumorem Augustum propediem magistratu abiturum esse: qui potuit Horatius arrogantiae crimen effugere, si dixit, quod quo spectaret, et princeps et alii cognoverunt? nam consulto eum in re tam gravi latebram obscuritatis adhibuisse, quo minus, quid vellet, intellegi posset, K. minime concedet. — Eis, quae in universum a Kieselio de c. III. 3 disputata sunt, mirifice conveniunt, quae de ultima stropha exposuit:[3]) „Metuit vel metuere se fingit, ne ea obstinatione, qua in re sua perstet ipsosque deos tamquam auctores laudet, eam rem, quam suadet, potius infirmet et in contemptum vocet.“ Haec legenti mihi alter Heraclitus, quid de abstrusioribus quibusdam rebus sentiret, disputare videbatur. Neque vero Kieselii verba ulla alia de causa transcripsi, nisi ut illustriore exemplo demonstrarem, quantopere Horatii explanatores delectentur mysteriis. — Quantumcunque igitur docti viri laborabant, ut probarent tertium carmen esse πολιτικόν, ut Graeci dicunt, ad reipublicaeque rationes referendum esse, operam perdidisse sunt existimandi.

Ac ne illud quidem iure dicitur ab Horatio tertio carmine ad virtutem colendam cives admoneri atque impelli, contra quam sententiam multa non immerito prolata sunt,[4]) alia a me nunc proferentur.

Quae vero sit illa virtus, cui Horatius cives studere velit, non consentiunt interpretes. Sunt, qui censeant praescripsisse eum civibus, ut essent constantes,[5]) sunt, quibus videatur adhortatus esse cives, ut iustitiam exercerent,[6]) neque desunt, qui praecepta et iustitiae et constantiae ab eo data

---

[1]) Quam parum sibi constet K., ea demonstrant, quae scripsit p. 6. „. . . ex primis tertii libri sex carminibus, quorum sive id fuit poëtae sive non fuit consilium, nullum non potest conferri cum ceteris quinque.“

[2]) v. interpretes ad Suet. vit. Aug. 34. — [3]) p. 16.

[4]) cf. imprimis Pluessii, Bambergeri, Ribbeckii commentationes.

[5]) Ut Orelli, Ritterus, Prienius (Rhein. Mus. XIII. p. 363), Obbarius, A. Goebel (Jahns Jahrb. 1864, Band 90, p. 131); cf. etiam Trompheller: Betrachtungen über die 6 ersten Lieder des dritten Buches. Coburg 1851 p. 13; eodem ex numero est Luebkerus, cui Horatius etiam imperii translationem perstringere videtur. „Die Verpflanzung der Residenz nach Troja musste grade Juno arg verbittern.“ Loquitur Luebkerus, quasi de consilio Augusti Romae deserendae omnia habeamus explorata.

[6]) Ita sibi persuasit Ruehrmund in commentatione: Ueber die horaz. Oden III. 24, 25; III. 1 — 6; III. 14. Potsdam 1857. Neque vero de sola iustitia putat R. agere poëtam. „Augustus hatte zwar keine Absichten nach Troja zu ziehen; vielleicht aber dachte er an eine Theilung.“ Haec somnia non satis habet proferre, sed id quoque addit:“ Uebrigens hat Hor. auch einen politischen Fehler wieder gut gemacht; nach ep. XVI. wollte er

esse arbitrentur.[1]) Duentzerus[2]) vult cives impelli ad observandam probitatem, constantiam, pietatem, continentiam, ut firmissima fundamenta et singulorum et rei publicae salutis. Schwenckius[3]) denique

auswandern." O gravissimas acerbissimasque criminationes, quibus in te, Horati, interpretes acute cernentes sint usi! Quod, cum tristissimi rerum status taederet te, cecinisti:

„Nos manet Oceanus circumvagus arva beata,
Petamus arva divites et insulas"

male audis a Ruehrmundio, perduellionis nota tibi inuritur. Homines Romani si sibi visi essent epodo sexto decimo a poëta invitari, ut Roma relicta eo secum incolendi causa concederent, quo nec Argonautae nec Sidonii nec Ulixes navem appulissent, ei haud parvam dandam esse hellebori partem censuissent.

Praescribi carmine tertio civibus, ut iusti sint, voluerunt etiam Rudolphi: Ueber Hor. III. 3. Brilon 1861 (v. infra), Rauchenstein: Ueber Sinn und Tendenz der dritten Ode des dritten Buches. Neues Schweiz. Museum I. p. 129 sqq., Stauder: Thema und logische Gliederung von Hor. III. 1 — 6. cf. Z. f. d. Gw. 1867 p. 505. In Stauderi explicatione non tam id urgeo, quod ultimam stropham satis habet clausulam appellare, — eum enim commentationis titulo cognito vel maxime sperabam lucide exposuisse, quid tribuendum esset ultimis carminis versibus — quam quod dixit: „Rom soll gross werden unter der Bedingung, dass Ilium nicht wieder hergestellt wird, dass die Römer nicht habsüchtig werden. Halten sie diese nicht, so werde ich ihre Feindin." Nego me tam Lynceum esse, ut reperire possim Iunonem denuntiare Romanis graves acerbasque inimicitias, si aut Troiam restituerint aut opes avidissime expetierint. Has vero si proposuit unquam dea praesidii, favoris, amicitiae condiciones, aetate Horatii vel maxime debuit esse inimica genti Romanae. Quando enim unquam Romani opum sitim minus expellere potuerunt? Quando reginam Pecuniam studiosius coluerunt? Quando autem res Romanae erant ampliores ac florentiores, quam quo tempore hoc carmen scriptum est? Quare si ii, qui tum vel legebant vel audiebant carmen, in eandem partem atque St. exitum orationis a Junone habitae accepissent, non dubito quin huiusmodi minae, quae quam vanae futilesque essent, facillime perspiciebant, iis risum moturae fuerint. cf. etiam Pluessii commentat.: Politische und sittliche Ideale etc. p. 74, sqq.

[1]) cf. Feldbausch: Zur Erklärung des Horaz p. 68. Idem sibi persuasit Petrenzius in commentatione, quam inscripsit: „Observationes in Horatii carminum aliquot locos." Gumbinnen 1844. Suam opinionem P. optime fulciri putat versibus 49 — 52. „Nam his verbis nihil aliud praecipitur, nisi quod saepe dixi, ut ab ea impietate ac turpitudine populus Romanus se contineat, ad quam auri affluente copia et insatiabili cupiditate homines corrumpi solent, id est, quae contraria est illi, ad quam cives poëta exhortatur, iustitiae et constantiae." cf. p. 21. Quam aculeata et contorta sit haec interpretatio, non opus est pluribus verbis exponere. Quod vero P. putat Horatium, quum Iunonem faciat interdicentem, ne Troia restituatur, id civibus praescribere, „ne peregrinis moribus ac vitiis se commacularent" — quasi vero iustitiam et constantiam, cum hoc carmen scriptum est, religiosissime coluerint, ac non iam diu illae virtutes exsularint — quid tandem minatur Iuno, cum denuntiat Troiae, quotiescunque restituta sit, se pestem allaturam? Consequens est, credo, ut dicamus Iunonem his minis nihil aliud profiteri nisi peregrinos mores ac vitia, quotiescunque invaserint in civitatem, se sublaturam. At neque de hac re neque de carminis clausula multum laboravit P. Quae ei sunt cum aliis interpretibus communia, de his infra agemus.

[2]) l. l. p. 350. Nachträge p. VII. Quum Duentzerus hoc carmen appellet „ein schönes Stück horaz. Symbolik," non mirum est eum tam varia congerere, ut si ei assentiri volueris, tibi confitendum sit inesse in hoc carmine farraginem quandam ac rudem indigestamque molem sententiarum. Etenim sub Romulo censet opiniosissimus ille interpres nomen Augusti latere; in hunc omnia, quae dixerit Horatius de iusto ac propositi tenaci viro, mirabiliter quadrare. Iunonem vero Troiam reparari vetantem interdicere, ne demigret populus Romanus ex Italia in Asiam neve denuo in gurgitem vitiorum se praecipitet, quasi vero ea vitia, quae enumerat D., quo tempore statuit emissum esse hoc carmen, sublata et erasa fuerint ac non tantopere viguerint, quantopere ante Augusti dominationem.

[3]) Rhein. Mus. XV. p. 244. Is quoque v. 49 — 52 expellit carmine; v. 25 — 32 in unam contrahit stropham, cum verba „nec Priami" .... usque ad „protinus" flaccescere existimet. At commorari Iunonem in memoranda Troianorum calamitate et exsultare in ruinis Troiae quid miremur? Ut Schwenckio haec verba non debuerunt stomachum movere, ita Peerlkampus et Prienius ferre potuerunt illud „Hectoreis opibus." Cogitanti enim Hectorem acerrimum Troiae propugnatorem fuisse unaque cum eo occidisse patriam (cf. Il. XXII. 433, Ennii Trag. rell. Achill. v. 25, Sen. Troad. 124 sqq.), non ieiuna ac frigida, sed mirum quantum concinna et congruens haec ratio dicendi videtur; de voce opibus v. interpret. ad Hor. Ep. I. 10. 36.

defendit praecipere Horatium populo Romano, ut vera ac sincera religione imbutus, quidquid agat, a diis omne principium capessat, ad deos referat exitum. — Ut suam opinionem veram esse demonstrarent, alii alia attulerunt. Veluti Rudolphius et Rauchensteinius, qui ut fere omnes, quos modo nominavi, haec sex carmina ita inter sese coniuncta existimant, ut singula quasi membra sint unius carminis, multos locos e Ciceronis de philosophia libris depromptos congerunt, quibus quid sit iustitia, definitur. Omnia, quae Cicero, nempe Stoicorum quaedam placita ad verba exprimens, in iusto homine voluerit inesse, in Romulum cadere, contraria in Troianos. Hac simplici, ut opinatur, tertii carminis interpretatione optime putat Rudolphius[1]) cognosci posse, quid Horatius secutus sit his sex carminibus, quo vinculo contineantur. Rauchensteinianae vero commentationis haec est summa: „Nicht gegen Wiederherstellung verlebter Zustände, sondern gegen solche, die damals in Rom seit einigen Generationen im Zunehmen begriffen waren, eifert die Ode; das ist der Wiederaufbau von Trojas Mauern in Rom selbst,[2]) diese will die Göttin nicht zulassen.“ Hac vero Troiae in ipsa Roma restitutione iustitiae despicientiam declarari firmissime contendit.

At quicunque existimant Iunonem Troiam restitui vetantem id populo Romano interdicere, ne iis vitiis se contaminet, quibus perierint Troiani, nescio quo pacto id sibi sumpserunt, quod non tam poterant quam avebant curiosius elicere ex carmine. Nonne versus 65—68 pro argumento poni possunt proprie dicere Horatium? An licet statuere ab Horatio moneri cives, ne seminarium omnium scelerum — haec enim vis voci Troiae a plerisque subicitur — auctore Phoebo restituant, qui quanto honore cum omnibus temporibus fuerit apud Romanos tum Augusti aetate haud ignoramus?[3]) Nonne porro a. 727, quo anno omnia sex carmina confecta esse contendit interpretum chorus omnis, qui arto vinculo inter sese iuncta esse habet persuasum, Romani magis et depravati et corrupti erant quam Troiani unquam fuerant? An Paris atque Helena plus flagitii admiserunt quam tum Romani, qui quam non coluerint castitatem pudoremque, quam petulanter omnia migrarint, quae sancta antea habebantur, ex nullo

---

[1]) Rudolphius (p. 5 sqq.) quamquam hoc carmine putat a poëta ad iustitiam colendam cives impelli, tamen acriter negat illud, quod de restituenda Troia dixit poëta, per translationem interpretandum esse, quae opinio quomodo carmine ipso fulciatur, nihil scribit. Censet autem R., qui propter hanc opinionis diversitatem quasi alba avis videtur, quantopere Iuno iniustis Troianis irascatur, optime inde cerni, quod etiam atque etiam interdicat, ne Troia restituatur, restitutaeque ignem ferrumque minitetur. Velle vero deam Troianos a se vexatos documento esse Romanis, quibus si iniustitiae vitiis se commacularint, fore ut idem accidat, quod proavis, sin iustitiam colant, imperium sine fine promitti. Haec interpretatio, quamvis minus tortuosa sit quam permultae aliae, tamen non caret spinis. An concedi debet Horatium utile proposuisse civibus exemplar Romulum, quid iustitia posset, ea videlicet, quam Stoici amplexabantur? Unde vero illud patet populo Romano iustitiae praecepta diligenter observanti orbis imperium Iunonem liberaliter polliceri, contra iustitiae leges violanti pestem interitumque denuntiare? Maxime vero, ut alia relinquam, offendor iis, quae de ultima stropha scripsit. „Omitto ultimam carminis stropham, qua Musam suam poëta revocat oratque, ne deorum sermones divulget.“ Elevat, opinor, R. hac manca strophae circumlocutione potius opinionem suam quam confirmat. Id enim si tractavit poëta, quod ille tractari censet, quid tandem fuit, quod Musam pervicacem appellaret eamque intra fines praescriptos continere sese iuberet?

[2]) Arridet haec Troiae interpretatio etiam Dillenburgero. cf. etiam illa, quae disseruit de hoc carmine in Quaest. Hor. 1838 p. 22. Imperii translationem quoque vir ill. tangi existimat. Eadem fere, quae apud Dillenburgerum videmus scripta, inveniuntur apud Iakowickium. cf. Observat. in sex prima tert. lib. Hor. carmina inter se vinculo conexa. Trzemeszno p. 10, 11. Qui quamquam libere confitetur nulla re probari posse Augusto fuisse in animo cedere Roma, tamen in Faberi verba iurat. Ex Petrenzio quoque Iak. aliquid pendet.

[3]) Preller: Röm. Myth. p. 273 sqq.; cf. praeterea Ribbeck. l. l.

fere libro, qui Augusti temporibus in lucem prodiit, intellegi non licet?[1]) At quamquam Roma tum libidinum, impietatis, fraudis, omnium denique pravarum artium, quibus Troiam dirutam esse ab iratis deis putant, quasi domicilium et sedes erat, tamen imperium Romanum et stabat et florebat et quotidie crescebat. Egregiam Iunonis iustitiam, quae in proavos admisso scelere graviter vindicarit, nepotes vero a nulla impudentia turpitudineque abhorrentes in dies potentiores atque ampliores fieri sinat! Num denique omnes Troiani adeo flagitiis commaculati erant, ut suo iure quis Troiam possit seminarium cuiusvis nequitiae et infamiae appellare cunctosque Troianos genus sceleratum impiumque, quod iure meritoque afflictum et vexatum Horatius voluerit documento esse Romanis? Laomedontem solum atque Paridem Horatius quoque auctores Troiae occasus existimat;[2]) populus contra ei purus et insons videtur. — Ultima vero stropha vel maxime obstat, quominus iis assentiamur, quibus hoc carmen morale esse placet. Cur tandem poëta, si cives adhortatur ad nescio quam virtutem, a vitiis avocat, se rem tractasse dicit minus Musae suae congruentem? Cur tale quidquam nec in iis carminibus occurrit, quae praecedunt, nec in iis, quae sequuntur, quamquam ut tertium ad civium mores emendandos existimantur spectare? Quomodo autem aptissime haec stropha cum praecedentibus coniungatur, aut tacent interpretes, aut si loquuntur, miro quodam consensu fere omnes ultimam stropham carminis primi libri secundi allegant.[3]) Est haec comparatio specie illa quidem blanda et gratiosa,

---

[1]) Ovid. Am. III. 4.37. Rusticus est nimium, quem laedit adultera coniux;
Et notos mores non satis Urbis habet.
v. praeterea Fast. IV. 157, Art. Am. I. 269 sqq.; Prop. III. 30.47.
Qui quaerit Tatios veteres durasque Sabinas,
Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.
Friedlaender I. p. 461.

[2]) Ennii Tragoed. rell. Alexander v. 65 — 69; v. etiam interpretes ad Verg. G. I. 502, Aen. IV. 541, V. 811; Sen. Agam. 863; Il. III. 39.50, XIII. 769, XXI. 442, XXIV. 25. Cadit in Troianos, quod Hor. Ep. I. 2.14. de Achivis dixit.

[3]) Praeter Ribbeckium et Bambergerum (vid. supra) fusius de carminis clausula disseruerunt etiam Obbarius et Schuetzius. Atque ille quidem ultimam stropham erroris veram confessionem existimat. „Hor. hatte im Anfange gesagt, er wolle die Jugend belehren und ermahnen, hier musste er als Erotiker zu erkennen geben, dass er überhaupt in allen drei Gedichten zumal in dem letzten seine Grenze überschritten. Auf iocosae liegt der Nachdruck.“ At nullo iure contendit Obbarius Horatii poësin amatoriam esse vel praecipue ita appellari debere. Neque minus erravit vir doctus, cum dixit orationibus modo in epicis carminibus locum esse, quae opinio sexcentis exemplis refutari potest. Non magis enim quam Horatius (cf. praeter c. III. 3, c. III. 5, c. III. 27, c. IV. 4, c. I. 7, c. I. 15. ep. 13.) alii poëtae lyrici reformidaverunt aliquem dicentem inducere. Obbario qui assentitur, ei Horatius homo levis et inconstans videatur necesse est. Etenim quamquam in c. III. 3 poëtae confitendum est, ut censet O., se rem lyrae suae non convenientem tractasse, tamen in eodem carminum genere versari nequaquam omittit. cf. quae O. de III. 5. disseruit.

Schuetzius vero, quem quid moverit, ut huius carminis exitum conferret cum clausulis c. III. 27, c. IV. 4, c. III. 5, difficile est intellectu, de ultima stropha sic statuit: „Die letzte Strophe kann fehlen. .....Dass Hor. fühlt, dass das gebrauchte Pathos weder ihm, noch dieser Dichtungsart anstehe, könnte seinem guten Geschmacke nur Ehre machen.“ Quod grande dicendi genus quale sit, quibus verbis vel sententiis hoc carmen magnificentius videatur quam alia, vir doctus demonstrare supersedit; neque vero ei continget, ut inesse in hoc carmine proprios quosdam sonitus ac fulmina dictionis probet. At si concedamus Schuetzio usum esse poëtam amplioribus verbis ac sententiis, quam quibus alibi solitus sit: quam ad rem in exitu carminis confessus est se proiecisse ampullas et sesquipedalia verba? Estne haec clausula vel insulsitatis confessio vel erroris excusatio vel praeposterae magniloquentiae irrisio? Velim placeat Schuetzio huic curiositati satisfacere et hanc rationem lyrici carminis id genus claudendi exemplo undeunde extricato illustrare.

sed reapse improbanda. Argumentum enim carminis II. 1. plane aliud est atque carminis III. 3. Illius carminis clausula, si argumentum spectas, tam naturalis, tam concinna est, ut minime offendat. Redierat poëta in carmine ad Pollionem dato in memoriam furoris civilis. De hac publica calamitate et dicendi et conquerendi difficilius est exitum quam principium invenire. Hoc ipsum eum sentire cognosci licet ex interrogationibus inde a versu 29. Ad quas interrogationes quid respondeat, non nescit, sed omnis insanae illius discordiae memoria tristior atque acerbior est, quam ut diutius in hac re permaneat ac perseveret; orat igitur obsecratque Musam, ne diutius commoretur in carmine lugubri; nenia enim, quam tractare coeperit, quasi profanari lyram suam[1])

Ut igitur carmen nullam dat ansam defendendi Horatium exstitisse Augusto auctorem, ne aut excederet ex Italia aut deposito imperio pristinam rem publicam restitueret, ita nullo iure pro certo ponitur, dedisse poëtam civibus aut iustitiae aut constantiae aut utriusque virtutis praecepta.

Iam vero videamus, num recte dixerint docti homines esse hoc carmen laudationem praeconiumque Augusti virtutum. Ac Baxtero quidem Horatius videtur Augusto collato cum Antonio pro singularibus summisque eius in patriam meritis palmam deferre salutis publicae et defensae et conservatae, at contra Antonio proditionis, levitatis foedissimarumque libidinum notam inurere; volunt alii a poëta Augustum ut alterum Romulum tolli ad caelum, alii denique opinantur eum ut solidam et expressam effigiem germanae iustitiae vel divinae cuiusdam constantiae vel ambarum virtutum

---

[1]) Cum clausula primi carminis secundi libri conferri potest Ovid. Fast. IV. 83. Loquitur poëta exsul de iis, qui olim in Italiam immigraverunt. Qua in re enarranda eius viri facit mentionem, qui Sulmonem condidit.

79 Huius erat Solymus Phrygia comes unus ab Ida,
A quo Sulmonis moenia nomen habent,
Sulmonis gelidi patriae, Germanice, nostrae,
Me miserum, Scythico quam procul illa solo est!

Ut autem tristitiam memorato Sulmonis nomine subito ortam velut profanam materiaeque, quam tractet, refragantem depellat protervisque ventis tradat, haec canit:

83 Ergo age, tam longas sed supprime, Musa, querellas,
Non tibi sunt maesta sacra canenda lyra.

Simile quiddam inveni apud Ovid. Trist. IV. 9.31. In adversarium quendam, qui non desinebat deripere de laude poëtae neque, quis esset, aperte audebat profiteri, acerbius invehitur Ovidius. Ut vero ostendat, quam non delectetur carmine condito in canem ignavum adversum lupos, Musam tacere iubet:

Hoc quoque, quam volui plus est; cane, Musa, receptus,
Dum licet huic nomen dissimulare suum.

cf. etiam Pind. Ol. IX. 35. Negat poëta quidquam magni ac praeclari effici posse dis non iuvantibus. Quod verum esse ex iis, quae Hercules gesserit, posse cognosci. Ab illo enim nisi a deis adiuto non potuisse vinci Neptunum, Apollinem, Plutonem. Iam parat has Herculis victorias enarrare, cum repente eum, ut est religiosus ac pius deorum cultor, timor occupat, ne quid delinquat deorumque immortalium numen ac maiestatem imminuat laedatque, si exposuerit, quomodo ab Alcmenae filio essent victi ac superati. Quare frenos adhibet Musae his usus verbis:

*ἀπό μοι λόγον*
*τοῦτον, στόμα, ῥῖψον·*
*ἐπεὶ τό γε λοιδορῆσαι θεοὺς*
*ἐχθρὰ σοφία καὶ τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν*
*μανίαισιν ὑποκρέκει.*
*μὴ νῦν λαλάγει τὰ τοιαῦτ'. ἔα πόλεμον μάχαν τε πᾶσαν*
*χωρὶς ἀθανάτων.*

iustis meritisque laudibus exornari et decorari.[1]) Ad haec omnia breviter licet respondere. Augusti quasi praeteriens mentionem facit poëta in undecimo et duodecimo versu; praeterea nihil potest reperiri, quo fulcias eorum opinionem, qui persuasum habent Augusti virtutes hoc carmine celebrari. Huius nomen nisi exstaret in carmine, si minus optimo, at aliquo iure contendere quispiam posset latere sub Romuli nomine Augustum. Quomodo autem, si quis Augusti virtutes ab Horatio summe praedicatas videre sibi videatur, carminis ultimam stropham coniungat cum superioribus? An fas est statuere poëtam in Musam graviter invehi, quod ausa esset exsistere principis laudatrix? Huiusmodi exitus sincerae ac verae praedicationis quam aptus et congruens sit, illi viderint, quibus Grotefendii[2]) aliorumque opinio placet. Mihi quidem id genus laudatio similis videtur isti operi atque artificio, quod

turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne.

Multo vero minus probatur mihi Hanowii sententia, qui populum Romanum a poëta laudibus efferri putat.[3]) Ut illud praetermittam ultimam stropham huic interpretationi nimium quantum officere: qui potest defendi in laude poni populi Romani fortitudinem, iustitiam, temperantiam in victu, quibus virtutibus amplissimum auctoritatis gradum adeptus sit Augusto imperii clavum tenente, cum idem Horatius, qua in re minime dissidet cum illius aetatis scriptoribus atque poëtis, multis locis conqueratur ac doleat depravatum esse populum, in vitia pessima lapsum, periisse pudorem, degenerasse cives a maiorum virtute, virtutem post nummos quaeri? Nusquam, quod sciam, suae aetatis mores laudat, immo haud raro libere et aperte castigat et vituperat Romanos ut indignos maiorum amplissimo nomine et gloria. Anno 737 demum, cum saeculares fierent ludi, haec dicit:

Iam Fides et Pax et Honos Pudorque
Priscus et neglecta redire Virtus
Audet.[4])

---

[1]) cf. quae supra dixi de Duentzero, Kreusslero, Roedero. Etiam Gust. Schaeffer (cf. dissertat. de sententiarum nexu, quo multi interpretes sex priora lib. III. carmina Horatiana iungi opinantur. Marburg 1852 p. 12) laudari tertio carmine Augusti, alterius Romuli, constantiam existimat; illum imperium aucturum, amplificaturum, nobilitaturum esse, „dummodo caveat populus Romanus, ne unquam neglecta ea, quam Augustus proposuerat, agendi ratione in pristinam morum pravitatem relabatur.“ Quo autem iure dici possit Troiam in hoc carmine idem valere ac pristinam morum labem, nihil sibi Sch. dicendum putavit. cf. praeterea, quae supra monui contra Duentzerum.

[2]) de Grotefendii sententia cf. etiam Dillenburgeri Quaest. Hor. 1838 p. 22.

[3]) de principatu Augusti. Sorau 1837 p. 10; vid. eiusdem auctoris commentationem, quam inscripsit: „Ist Horaz ein kleiner Dichter?“ Halle 1838 p. 19. De carminis summa non multum dissentit ab Hanowio Dillenburger.

[4]) cf. interpret. ad v. 18 carm. saec., c. IV. 15.10, c. IV. 5.21, Ep. II. 1.2. — Hanowii explanationem mea quidem opinione comprobare ii minime possunt, qui contendunt omnia sex carmina unum efficere eodemque tempore confecta esse. Etenim in c. III. 6 tanta cum libertate notavit civium impietatem, improbitatem, impuritates, libidines, quanta in nullo; negat unquam morum perversitatem impudentiamque maiorem fuisse. Quomodo quis contendere possit uno quasi tenore et laudari populum Romanum, quod constantia, iustitia aliisque virtutibus regnante Augusto summa quaeque assecutus sit, et propter turpissima maleficia carpi et perstringi, perspicere nequeo.

Quoniam fuse lateque, ut res poscere videbatur, exposui, cur iis interpretationibus, quas perpendi — hae autem primarium obtinent locum[1]) — cum alia reclamitent tum maxime ipsum carmen, nunc, quid equidem de carmine sentiam, explicabo. Ne vero suspensos teneam eos, qui hanc commentationem hactenus legere non sint gravati, ab Horatio Romuli apotheosin vel consecrationem hoc carmine celebrari contendo. Hoc si quis interpretum legerit, non dubito, quin aut Horatii artis reconditae parum intellegentem me sit appellaturus aut carbonem pro thesauro invenisse sese sit clamitaturus. Haec atque etiam graviora levius feram, quam si quis suo iure dixerit esse, quae profero, miracula ac somnia interpretis non docentis, sed optantis.

Videamus vero, quorsum haec mea sententia spectet, utrum refragetur verbis atque ingenio poëtae necne. — Initium carminis duae efficiunt strophae, in quibus de animi magnitudine eorum poëta loquitur, qui vere sunt iusti atque tenaces propositi. Talis autem vir suis ipsius commodis minime inserviens, quidquid bonum honestumque putaverit, nulla re deterritus faciet; talis vir negata tentat iter via caelumque sibi recludit. Atque eo in numero, qui summa quaeque et expetierunt et consecuti sunt, quos ad deos immortales populus Romanus benevolentia famaque extulit,[2]) inde ab antiquissimis temporibus habebantur Pollux, Hercules, Aesculapius, Romulus sive Quirinus.[3]) Hi et deis orti et virtute sua in caelestium concilio collocati tam saepe una commemorantur,[4]) ut nodum in scirpo quaerere is iudicandus sit, qui, cur non alii heroes in III. 3 enumerentur, miratur; etiam illud subargutuli censoris est scrutari, num Bacchus aliique, quorum Horatius facit mentionem, iusti tenacesque propositi appellari debeant. Heroes enim in superandis difficultatibus laboribusque,

---

[1]) Doleo, quod mihi, quantumcunque contendebam, non licuit Haberlandii de III. 3 commentationem inspicere. Quae cum abhinc centum annos Ienae prodierit, ab eo, qui tractat universitatis bibliothecam, bis petivi, ut mihi potestatem faceret libelli Haberlandiani. Roganti ita satisfactum est, ut nec ad priorem nec ad alteram epistolam quidquam responderetur. Fecit ille quidem inhumaniter, sed nescio an hac re excusatus abeat, quod homunculo uni ex multis morem geri non oporteat. Quis autem purgabit Leutschium Gottingensem, qui epistoliis epistolisque meis paene sexcentis adhuc impelli non potuit, ut humaniter rescriberet, quid fecerit illa commentatione, quam ei ante hos tres annos tradidi Philologo suo inserendam? Equidem tamen non diffido virum doctissimum, ubi primum ex hoc quoque libello intellexerit, quantopere aveam certum quiddam cognoscere de commentariolo meo, dicturum: „Iam iam efficaci do manus epistolae" perscripturumque ad me, utrum quae misi, fato quodam perierint, an necesse esse videatur, priusquam illa in lucem proferantur, longius triennio premi. Est autem sane eo magis, cur Leutschii asperitatem mirer, quod nunc primum in me quidem tam illiberaliter se gessit.

[2]) Cic. Cat. III. 1.2.

[3]) vid. interpret. ad Cic. leg. II. 8.19; de Quirino cf. Schwegler: Röm. Geschichte I. 384.

[4]) veluti Silius Italicus XV. 78 haec Virtutem facit dicentem:

Referam quid cuncta domantem
Amphitryoniaden? quid cui, post Seras et Indos
Captivo Liber cum signa referret ab Euro,
Caucaseae currum duxere per oppida tigres?
Quid suspiratos magno in discrimine nautis
Ledaeos referam fratres vestrumque Quirinum?

Quibus in versibus utrum ex Horatio pendeat Silius, ut alii existimant (vid. Drakenborch. ad XV. 78), an aliunde (exstant plura id genus apud Luebkerum p. 533), difficilius fuerit diiudicare. Quemcunque autem imitatus est, ex Silianis quoque versibus elucet hanc horum heroum commemorationem non alio spectare ac supra exposui. Hac ex re qui plus elicit, ut nuper Pluessius quoque fecit (cf. Des Vergils vierte Ecloge. Jahns Jahrb. 1877 p. 71), is nimis acres acutosque habet oculos.

quos pro generis humani salute adierant,[1]) et tenaces fuisse propositi et iustos, si quidem, qui honesta ac bona sequuntur, eos fas est sic nominari, pauci negaverint. Sed hac implicata ac tortuosa, ut quibusdam forsitan videatur, interpretatione vix est opus. Versus 1—8 efficiunt late splendentem introitum eius rei, qua de dicturus est poëta.[2]) Quibus versibus postquam exposuit, quatenus progrediatur eorum virtus, qui iusti sunt ac tenaces propositi, dicere pergit: hac arte i. e. hac ratione Pollucem ceterosque effecisse, ut deorum in templa reciperentur. His heroibus adiunxit Augustum praedicitque eum, ubi vitam posuerit, eisdem honoribus esse usurum quibus Pollucem, Herculem ceterosque.[3]) Agitur vero in hoc carmine solo de Romulo versusque, qui sunt de eo, Iunonisque

---

[1]) Ep. II. 1.7.

[2]) v. 1—8 nescio an sint putandi imitatio poëtae Graeci. Horatium cum alia mutuatum esse a Graecis, tum quae velut lumina carminum collocaret in principio vel in medio vel in extremo carmine, satis exploratum est cf. Goebelii commentat. de Horatio Euripidis imitatore Z. f. d. Gw. 1851 p. 298; Garckii dissertat. quae inscribitur: „Horatii carmina collatione scriptorum Graecorum illustrata.“ Halle 1860; eiusdem auctoris libellum: Qu. Horatii Flacci carm. lib. I. collatis scriptorib. Graecis illustrati specimen. Halle 1853 p. 8. 21; Theodor Arnold: Abhandlung über die griech. Studien des Horaz. Halle 1855. 1856.

Similis sententia atque ea, quae his octo versibus illustrata est, occurrit apud Platonem Apol. XVI. B. ib. XX., Crit. IX. D.; Cic. Parad. V. 1. vid. etiam Hor. Serm. II. 7.88.

Quod spectat ad elocutionem cf. Sen. Thyest. 290 sqq., Phoen. 56 sqq., Oedip. 1028 sqq., Agam. 593.

Nullus hunc terror nec impotens
Procella Fortunae movet
Aut iniqui flamma Tonantis,
.......... nullos civium coetus
Timet aut minaces victoris iras;
Non maria asperis insana Coris:
602 Hostica aut muros populante flamma
Urbe cum tota populos cadentes:

Herc. Oet. 1377 sqq., 1385 Non ipse si in me, mater, hic mundus ruat. v. etiam. Aen. XII. 203 sqq.; Soph. Phil. 1197 sqq.

[3]) Causarum, cur lectionem „bibet“ praeferendam existimem lectioni „bibit,“ haec est gravissima, quod absurdius pinguiusque quidquam ne cogitari quidem potest quam dicere vivos homines nectar bibere. Cadit hoc in deos immortales in eosque, quos sua virtus deorum immortalium fecit convictores. v. etiam Schmalfeldii de voce *νέκταρ* commentat. Z. f. d. Gw. 1876 p. 744. Ut Herculi in coelum evecto Iunone pacata nectar ministratur (cf. Sappho frag. 51), ita Romulus, postquam agere inter homines desiit, in deorum convivia adhibetur concedente atque comprobante Iunone. Interpretes ut lectionem „bibit“ genuinam esse defenderent, ad. Ep. II. 1.15 nos reiecerunt. Male autem mihi opinionem suam videntur fulcire. Etenim ibi nihil aliud dicit Horatius nisi id interesse inter Augustum et Romulum ceterosque heroes, quod illi iam vivo meritos debitosque honores tribuant homines, hi mortui demum summis laudibus digni sint habiti. cf. Mart. V. 10. (ad Regulum). Quod Schroeterus scribit (cf. Quaest. Hor. II. Saarbrücken 1856 p. 1) lectionem „bibit“ tolerari non posse, quod Augusti aequales non tanta adulatione se dehonestaverint, ut dicerent principem iam vivum esse deum, minime probo. Etenim non uno exemplo demonstrari potest, poëtas, qui tum vivebant, cecinisse Augustum deum esse. At tam rustice tamque inficete poëtarum illorum nemo scripsit, ut diceret Augustum vivum nectar bibere. Vide, quaeso, quam rationem dicendi usurpet Ovidius, qui praeter ceteros Augustum adulatur adoratque, non ideo quod principem divina quadam laude dignum existimet, aut quod, ut Boissierus opinatur, animus eius ex quadam adulandi cupiditate aegrotet, sed quia quo copiosius et abundantius adulatur, eo plus utilitatis percepturum se arbitratur. Is igitur Fast. II. 145, ubi laudando principe ipse sese superavit — confert enim Augustum cum Romulo Romulumque longe inferiorem esse Augusto probare studet v. 133 sqq. — haec dicit:

Iam puer Idaeus media tenus eminet alvo
Et liquidas mixto nectare fundit aquas.

Non bibere dicit Augustum nectar, sed fore ut bibat; cf. praeterea interpret. ad Verg. G. I. 24 sqq., 34 sqq.; vid. etiam, quomodo Funkhaenelius lectionem „bibet“ defendat. Jahns Jahrb. 1869 p. 129. — Constantius vero

oratio, ut sunt inter se apta et colligata, ita carminis quodammodo sunt nervi. Est autem Iunonis oratio in consessu deorum habita, priusquam Romulus vita cederet, vitae bene ac laudabiliter actae comprobatio, quae ad Romulum consecrandum haud levis erat momenti. Cum deis placeret post ingentia facta Romulum quoque Iovis interesse optatis epulis, Iuno obstare se negabat, quominus ille in deorum numero esset. Ac non solum Romulo divinam viri virtutem admirata iam cupit et favet, sed etiam genti Romanae amicam benevolamque se profitetur. Ne vero videatur parum sibi constare, quippe quae Laomedontis Paridisque prolem vexare desierit, Troiam sibi odio et esse et futuram esse denuntiat. Quantopere autem novae urbi faveat aliis fundamentis constitutae ac fuerat Troia, iis, quae loquitur inde a. v. 36, declarat. Cupit enim urbem et aeternam esse et late conspicuum tollere verticem. Neque vero, quae precatur urbi bona, ita precatur, ut nisi Romani certa quaedam aut fecerint aut facere omiserint, se mentem mutaturam suamque erga populum Romanum voluntatem abiecturam minetur. Immo, ut terrarum mariumque termini a principio constituti sunt aeterni, sic, in perpetuum ut Roma stet vigeatque, optat.[1] Miro quodam errore implicantur,

---

nemo quam Pluessius lectionem „bibit“ defeusitat. cf. Die Gottmenschlichkeit und die Wiedergeburt des Octavianus Augustus. Jahns Jahrb. 1870 p. 146 et commentat., quam inscripsit: „Des Vergilius vierte Ecloge. ibid. 1877 p. 69, p. 78. Collegit ex hoc quoque dicendi genere, subesse in Horatii carminibus praesensiones religionis Christianae. Hic nolo fusius dicere, quare haec interpretandi ratio prorsus reclamitet ac refragetur Horatii de vita deisque opinioni; id vero nego potuisse Horatium serio canere Augustum inter homines versantem accubare in convivio deorum. Hoc si diceret poëta, famosis versibus putaretur Augustum cooperire. cf. Suet. vit. Aug. 70.

„Bibet“ autem lectio cui placet, (quam lectionem haud spernendorum codicum auctoritate fulciri cum Gruppium fugerit, v. 11 et 12 existimat delendos vocem „bibit“ indignam ratus Horatio), is sumere potest poëtam sperare Augustum, quam semel viam ingressus sit, ab ea non declinaturum omnibusque rationibus bonos mores revocaturum esse, totum se traditurum civitati bonis salutaribusque legibus ornandae ac firmandae, hac una re effecturum, ut mortem immortalitas consequatur. En causa, cur Augusti honorificentissimam fecerit ibi mentionem, ubi Romuli virtutes extulit, quibus Iuno ex inimicissima populi Romani amicissima facta est, firmissimaque iacta sunt reipublicae Romanae fundamenta.

[1]) Solere imprimis poëtas, ut indicent rem aliquam sempiternam fore, ita eam comparare vel cum rebus aeternis atque immutabilibus vel cum constantibus naturae legibus, ut coniunctione dum (donec) utantur, notum est. Huius rei illustrissimum exemplum attulit Peerlkampus ex Ovidio.

cf. Am. I. 15.9—28:

Vivet Maeonides, Tenedos dum stabit et Ide,
  Dum rapidas Simois in mare volvet aquas.
Vivet et Ascraeus, dum mustis uva tumebit,
  Dum cadet incurva falce resecta Ceres.
Tityrus et fruges Aenëiaque arma legentur,
  Roma triumphati dum caput orbis erit.
Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
  Discentur numeri, culte Tibulle, tibi.

id. Ib. 135.
cfr. Hor. c. III. 30.8; Sen. Herc. Oet. 1576:

Vere dum flores venient tepenti,
Et comam silvis hiemes recident,
Vel comam silvis revocabit aestas,
Pomaque autumno fugiente cedent,
Nulla te terris rapiet vetustas:

qui coniunctioni „dum“ in v. 36 et in v. 40 condicionis vim ac notionem subiciunt;[1]) temporalem esse autem, ut grammatici dicunt, coniunctionem „dum“ in utroque versu, quos modo laudavi, etiam e versibus 65—68 licet cognosci. Nonne Iuno minatur, quotiescunque Troia resurrexerit,[2]) se pestem interitumque invisae urbi iisque, qui ibi incolant, allaturam esse frustraque homines in restituenda Troia operam posituros praedicit? Ut igitur v. 61—68 argumento sunt proprie dicere poëtam, sic etiam v. 37—48 optime intelleguntur omni translationis cogitatione abiecta.

Cui autem Iuno oratione, qua utentem eam facit poëta in deorum consilio, et eas res, quas gessit Romulus, comprobare videtur et vota facere, ut nova urbs et augeatur et amplificetur et totum orbem in suam redigat potestatem,[3]) hunc versus 49—52 a multis vexati, a multis eiecti prorsus nihil offendunt. Optat enim dea, quantumvis licet et auctoritate et viribus crescat populus

---

id. Med. 401 sqq.; Oed. 503 sqq.; Lucan. l. 89; Tib. I. 4. 65 sqq.; Aen. I. 607.

In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

id. IV. 447 sqq. — Hoc genere dicendi quin Hor. in v. 37 sqq. usus sit, nullus dubito. Quod vero P. posuit scribere debuisse grammaticum, qui suis nugis carmen locupletarit „saeviet,“ „insultabit,“ non scripsisse eum, quae recta sunt, quoniam metro impeditus esset dicere „insultabit,“ vehementissime erravit. Nam tantum abest, ut modus subiunctivus sit contra Latinitatis leges, ut aliter scribi non potuerit. Etenim non recta, quam vocant, oratione aliquid eventurum esse praedicatur, sed optatur, ut eveniat; in enuntiatione primaria si legeremus „regnabunt“ „stabit,“ Peerlkampus haberet, cur genere dicendi offenderetur; nunc vero modo subiunctivo atrum signum allinere transverso calamo praeproperi est iudicii. Etiam ep. XV. 7—9, quia obliqua utitur Horatius oratione, subiuntivum ibi posuit, ubi si recta usus esset, ei dicendum fuit „dum .....turbabit .....cogitabit ...erit.“ — Inde quoque P. cognovit interpolationem, quod busti Priami fiat mentio. „Contra historiam, inquit; Priamus non habuit bustum.“ Quasi vero modo id, quod P. apud suos auctores legit, de Priami interitu traditum sit (cf. Paus. X. 27.2), aut quasi Horatio non licuerit digitum transversum a traditis fabulis discedere, id quod facere non dubitasse poëtas docet Ovid. Am. III. 12.41, ex Pont. III. 9.48. cf. Hor. Art. poët. v. 119. Denique ex iis, quae attulit P., non potest concludi Priamum nunquam affectum esse sepultura. Paris a Troianis sepultus est. cf. Preller: Griech. Myth. II. 442. — Similis farinae illud est, quod dicit P. grammatici portentum inde quoque se agnoscere, quod aliae causae Iunonis irae memorentur apud Vergilium. Num modo ea, quae apud Vergilium videmus scripta, de Iunonis ira tradita erant? Vide, quaeso, quid Ovidius hac de re dicat. Fast. VI. 43:

Causa duplex irae, rapto Ganymede dolebam,
Forma quoque Idaeo iudice victa mea est.

Quamquam vero Horatius graviter vindicantem facit Iunonem in Troianos propter laesam fidem, pollutum hospitium, factum adulterium, tamen verba „incestus iudex“ satis declarant etiam apud Horatium cum indignatione meminisse deam iudicium Paridis iniuriamque spretae formae.

[1]) Ritterus verba „dum longus.... saeviat“ (de verbis „dum ...insultet...“ nihil scribit) per translationem ita interpretatur: „dummodo omne commercium inter Romam et Italiam vitatur. Quippe saevire praesumitur mare a nautis vitatum ac desertum.“ Hic quaerere licet, utrum mare praesumatur saevire, quia vitatur a nautis, an cum vitatur. Utrumque vero absurdum est. — Audaciore, ut levissime dicam, translatione usus est Duentzerus, cum haec scripsit: „dum longus..... saeviat d. h. so lange Rom nicht Troja gleich den Verbrechen sich hingiebt, dum Primani ......insultet.... d. h. so lange Verbrechen gestraft und die Gesetze geachtet werden.“ Quam nihil est fecunda licentia vatum ad licentiam interpretum!

[2]) ter v. 65 sqq. significat saepe. Etenim Iunonis in Troianos odium non circumscriptum est certo quodam temporis spatio, sed infinitum atque aeternum est.

[3]) vid. etiam Ovid. Fast. VI. 31 sqq.

Romanus omnesque partes terrae sub dicionem potestatemque suam subiungat,[1]) ut frugalitatem temperantiamque retineat conservetque.[2]) Haec cum deam inducit orationi inserentem, cives suos monet, ne in expugnationibus urbium finiumque prolatione nimis ardenti sint avaritia; nam auri siti importuna fameque omnes libidines et excitari et augeri, mores bonos tolli patriamque in periculum ac discrimen vocari ad interitumque ruere. Non enim nescit poëta, quid maxime rem publicam infirmarit, perculerit, labefactarit, quare quamvis facultatem arripit cives admonendi, ut amori scelerato habendi iniciant frenos. Hanc stropham Horatianam esse non infitiabitur, qui quid poëta de auro ut malorum irritamento iudicet,[3]) non ignorat; in hoc carmine illam locum habere, si quis probaverit, quae ego hactenus exposui, facile concedet. Illud vero dubitari potest, utrum suo loco legatur an alieno. Non desunt, qui vel maxime inde, quod hac stropha fines imperii Romani quasi

---

[1]) Cum Bentleio lego in v. 54 tangat. Quae contra hanc lectionem prolata sunt, nullo pacto Bentleii opinionem aut labefactare aut elevare potuerunt.

[2]) Modestia, frugalitas, continentia aetatis Romuleae non raro opponitur effusioni luxuriaeque, quae Augusti temporibus (cf. Friedländer III. 17) quasi pestis totam civitatem corruperat et corpora animosque enervaverat. cf. Hor. c. II. 15; Ovid. Fast. I. 195, Art. Am. I. 101, III. 113; Tib. I. 10; Prop. V. 1. v. etiam Zingerle fasc. I. p. 122.

[3]) Quantam vim aurum habere ad hominum mores perdendos, ad civitates evertendas Horatius Lucretii plerumque addictus sententiis censuerit, exposuit Reisacker p. 20, 26 commentationis suae: Horaz in seinem Verhältniss zu Lucrez und in seiner culturgeschichtlichen Bedeutung. Breslau 1873. cfr. praeterea Weingaertneri de Horatii Lucretii imitatore dissertat. p. 15 sqq.; Teuffel: R. L. p. 328. Cum v. 50 et 51 maxime conferendi sunt c. IV. 9.37 ....................abstinens

Ducentis ad se cuncta pecuniae.

c. I. 35.35........... quid intactum nefasti

Liquimus? Unde manum iuventus

Metu deorum continuit? quibus

Pepercit aris?

cf. Prop. IV. 12.47.

Similis sententia atque in v. 49 et 50 occurrit etiam apud Ovid. Fast. IV. 405.

Aes erat in pretio; chalybeïa massa latebat.

Eheu! perpetuo debuit illa tegi.

In v. 49 haerere me confiteor in verbo „irrepertum." Non iniuria „irrepertum......... celat" vocatur a Prienio (v. supra) „fürchterliche Tautologie." Multum diuque consideranti mihi omnis difficultas tolli videtur, si ita legi placeat:

Aurum repertum — at sic melius situm,

Cum terra celat —

Hac lectione non solum tumida illa tautologia, quam vocant, emovetur, sed artius stropha 13 conectitur cum praecedente. Facit enim poëta, si me audis, deam optantem atque monentem, ut populus Romanus, quoquo arma victricia tulisset, repertum aurum, quod ut importunissima civitatum pestis melius in terra abditum iacuisset, fortius atque constantius despiciat quam converrat conficiatque. Maioris est enim fortitudinis opes contemnere quam summa contentione comparare. Non iubet dea populum Romanum repertos thesauros intactos relinquere ingentesque acervos oculo irretorto spectare, sed auri cupiditati magis imperare quam servire. Cum verbis „spernere fortior quam cogere" cf. Aen. VIII. 364 et Cic. off. I. 5.17...... „et animi excellentia magnitudoque cum in augendis opibus utilitatibusque et sibi et suis comparandis tum multo magis in his ipsis despiciendis eluceat." Ut „repertum" genuinam lectionem existimem, hac quoque re impellor, quod apud Lucretium V. 1113 (cf. quae scribit Lucretius inde a v. 1103) exstat „aurumque repertum." Hac denique lectione etiam, quae Peerlkampus protulit, refutantur. Eum omnino non perspexisse, quae esset verborum structura in his versibus, inde patet, quod dicit: „quomodo aliquis spernit, quod irrepertum et sub terra celatum est, quod non habet, quod non novit?"

discerpantur ac distrahantur, v. 49—52 insulsam putidamque interpolationem putent. Quamquam versibus 53—56 collocatis ante v. 49—52 refutari potest illorum opinio, qui hac ipsa de causa, quam modo dixi, videre sibi videntur male seduli bardique grammatici cuiusdam ineptias, tamen non opus esse existimo versus sua sede pellere. Id etiam Rauchensteinius habet persuasum. Quod vero dicit: „Die Vorstellung von der Grösse und Ausdehnung wird gerade durch das Unterbrechen der grossartigen Wünsche und Versprechungen erhöht," equidem non adducor, ut credam descendisse poëtam ad tale quoddam artificium, quo num id, quod optat dea, magis exaggeretur atque amplificetur quam si uno velut tenore vota peragat, merito ac iure dubitari potest. Mea quidem sententia deae verba in transitu monentis, ut fortiores se praestent Romani in spernendo quam cogendo auro, arte cohaerent cum verbis optantis, ut Orientem Romani suo imperio adiungant. Victoria ex Aegyptiis reportata tanti ad res Romanas erat momenti, quanti olim triumphus ex Carthaginiensibus deportatus. Facit igitur poëta Iunonem suo loco suadentem atque interdicentem populo Romano, ne ita in Aegypti opes immineant, ut summum suae ipsorum civitati detrimentum inferant. — Ut autem cupit[1]) dea stare ac florere in perpetuum Romam monetque populum Romanum, quem iam matris quasi amore amplectitur, ut populorum gentiumque victor pecuniae opumque aviditatem contineat, ita interdicit Romanis, ne, ubi primum opes viresque novae urbis creverint, nimium pii in avitam Troiam urbem ipsi invisam et odiosam restituant.[2]) Illud „nimium pii" ut perfacile est ad intellegendum, si proprie dicere Horatium censeas, ita quam bono amicoque in Romanos animo sit dea, indicat. Troiae enim reparandae consilium si quando ineatur, ne non ab improbitate aut ab impudentia, sed a nimia quadam pietate proficiscatur timet. Nimium pius autem is est, qui gratissimo animo, liberalissimo studio atque officio indignos quoque prosequitur.[3]) Vult igitur Iuno populum Romanum eo animo esse in Troianos, ut nefas habeat istis, quamvis parentum locum obtineant, pietatem praestare. Hoc loco illud mihi non praetermittendum videtur Iunonem non Romanis ipsis, si grata voluntate cognoscerentur in Troiam, ut in originem suam, et honesta mente peccarent,[4]) vastitatem atque calamitatem denuntiare;[5]) Troiam solam insatiabili odio se vexaturam restitutamque denuo eversuram minatur.[6])

---

[1]) fata v. 57 quo iure velim idem valere atque optata, docet Preller: R. M. p. 565; cfr. praeterea interpret. ad. Aen. VII. 293; Non. cap. 6. 42.

[2]) „hac lege" v. 58 idem est atque hoc praecepto. v. Forcellini s. v. lex.

[3]) Qui verba „nimium pii" cum Lehrsio inepta arbitratur, hunc velim inspicere, quae Cic. pro Flacco XXXVIII. 96 dixit: „Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego, revocemus eiectos: nimiae pietatis et summni amoris in patriam vicissim nos poenas, si ita placet, sufferamus." Ut „nimium pii," ita verba „auctore Phoebo" minime aliena sunt, si Iunonis orationem ita accipias, ut ego eam accipiendam esse existimo. Habebatur enim Apollo urbium conditor. cf. Preller: G. M. I. 214 et schol. ad Pind. Ol. VII. 31. Quam libenter Troiam, si ei integrum esset, fuerit restituturus, id quod vehementer cupiebant Troiani (v. Aen. IV. 344), inde potest cognosci, quod etsi habebat, cur iis succenseret, tamen nunquam desiit iis favere et opitulari. cf. Il. XXI. 441; Aen. VI. 56; Hor. c. IV. 6. 13—24.

[4]) v. Sen. Phoen. 97.

[5]) Fugit hoc cum alios (v. supra) tum Peerlkampum, quare contendit Iunonem mentiri; stare enim Romam, quamvis Troia plus quam semel sit restituta. Mendacii notam Horatium deae inussisse dicere non potest, nisi qui suo acumini suisque argutiis plus tribuendum putat quam lucidis poëtae verbis.

[6]) Hac interpretatione carminis, quam non vereor, ne quis vocet salebrosam et obscuram, etiam illud refutatur, quod Lehrsius dixit: „Dass Juno, welche von Parthern prophezeit, hier sich beschränkter Weise einbildet, sie würde immer und immer noch mit ihren Argivern aus der Ilias operiren, ist einfältig." Exposuit

Iam vero si quis quaerat, quemadmodum coniungi posse existimem ultimam stropham cum praecedentibus, haec habeo, quae respondeam. V. 69—72 clausulam rhetoricam arbitror. Horatius in hoc carmine nescio an primum materiam ex historia Romana repetitam sibi proposuerit tractandam; id vero dubitari non potest, quin in hoc solo carmine historiam fabularem tetigerit, quae spectat ad domestica fata, cum in ceteris carminibus, in quibus inest argumentum fabulare, a poëtis Graecis tum plus tum minus mutuatus sit.

Talis autem argumenti, quod Horatius exaravit in carmine tertio, gravitati nec elegos convenire nec strophas vulgaris erat opinio; soli versus heroi materiam id genus sustinere et posse et debere existimabantur; aliis versibus inclusa atque herois res tam grandis tamque sublimis sucum et sanguinem, ut ita dicam, amittere videbatur atque deteri. Horatius, ut qui fautores veterum minime sibi audiendos esse arbitraretur seque multum discrepare diceret ab istis imitatoribus nihil suo Marte audentibus, hoc quoque carmine ostendit numeros animosque Graecorum se sequi. non res.[1]) Ut igitur brevi complectar, quid sentiam de huius carminis genere: Horatius argumentum ex primordiis rerum Romanarum desumptum, quod grandioris et amplioris poëtae ingenium lacertosque requirere videretur quam lyrici poëtae, in strophas accomodavit.

Non igitur eam in sententiam ultimam stropham accipiendam esse exstimo, ut dicas Horatium in exitu carminis confiteri sumpsisse se materiam suis viribus minime aequam,[2]) sed esse quandam inter argumenti, in quo versetur, gravitatem ac sublimitatem et formam, qua incluserit argumentum, discrepantiam.

Quo melius autem intellegatur verbis illis „magna modis tenuare parvis“ nihil aliud indicasse Horatium nisi carminis ponderosum argumentum quasi dissidere a lyrica forma, quaedam similiter dicta in medium afferre liceat. Ovidius Augustum cum Romulo comparans[3]) ad patrem patriae celebrandum elatione atque altitudine orationis, qua floruerit Homerus, opus esse elegosque nequaquam pares tanto oneri sustinendo dicit.

Quid volui demens elegis imponere tantum
Ponderis? heroi res erat ista pedis.[4])

---

H. Paldamus (cf. de imitatione Horatii. Greifswald 1851 p. 17), cur possint excusari verba „meis Argivis.“ Equidem vero censeo tam apta et congruentia esse, ut non egeant excusatione, dummodo recte sentias de carminis summa. Significat autem illud „meis Argivis“ idem atque meis sociis amicisque; nunquam defuturos esse Iuno praedicit, qui libenter se sequantur urbemque restauratam se duce aveant evertere. v. etiam Preller: G. M. I. 128, II. 36 sqq., 47. Potest cum hac locutione conferri illa, qua Ennius Ann. 284 inducit Hannibalem utentem:

Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis,
Quisquis erit, cuiatis erit.

[1]) Ep. I. 19.

[2]) cf. c. I. 6, II. 12, IV. 2. Ep. II., 1.250 ff. Similia occurrunt apud Prop. IV. 8.3.

Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
Non sunt apta meae grandia verba rati.

cf. etiam v. 7. 35. 36.

[3]) v. p. 22 not. 3.

[4]) Fast. II. 125; id. ex Ponto III. 4.85 Ferre etiam molles elegi tam vasta triumphi
Pondera disparibus non potuere rotis.

id. Am. I. 1. Arma gravi numero violentaque bella parabam.
Edere materia conveniente modis.
Par erat inferior versus.

Idem Iunonem ipsius audaciam facit admirantem, quod res ampliores parvis modis enarrasset.[1] — Ultima vero carminis stropha, ut iam supra dixi, tantummodo rhetoricam vim habet. Induxit Iunonem poëta longiore utentem oratione, qua cum deorum summa admiratione declarabat ac prae se ferebat, quam benevolo esset animo in Romulum populumque Romanum, quam inimico in Troianos. Potuit de illo deorum coetu plura dicere; potuit Iovem vel Martem respondentem facere ad ea, quae Iuno exposuerat;[2]) hoc ex verbis „sermones deorum" nescio an tuo iure collegeris. Cum vero nec vellet carmen longius producere et totum carmen venuste eleganterque claudere, subito subsistit Musamque pervicacem, utpote quae id sibi sumpserit, quod intactum relinquere debuerit, in propria pelle quiescere iubet; etenim numeris Alcaei non esse dicendum carminis heroi opus.

Huiusmodi vero rhetorici et exitus et transitus non raro inveniuntur apud Horatii aequales. Veluti Ovidius[3]) Cereris errores enarrans tredecim deinceps versibus enumerat insulas, maria, urbes, gentes, quas dea huc atque illuc delata viderit. Tum ita pergit:

573 Quo feror? immensum est erratas dicere terras,
Praeteritus Cereri nullus in orbe locus.

Idem[4]) viginti tribus versibus dicit de Amalthea Laribusque. Deinde haec canit:

147 Quo feror? Augustus mensis mihi carminis huius
Ius habet. Interea Diva canenda Bona est.

In libro secundo Art. Am. in re, quam tractat, relinquenda hac utitur transitione:

535 Quid moror in parvis? animus maioribus instat.
Magna canam: toto pectore, vulgus, ades!
Ardua molimur.[5])

Horatium nec inventorem fuisse materiae, quam cecinit in carmine tertio, nec scenae, quam videmus in carmine, consessum deorum dico, qui de Romuli, antequam sublimis raperetur, amplissimis praemiis atque honoribus deliberant, facile concesserim.[6])

---

id. Rem. Am. 379 Blanda pharetratos Elegeïa cantet Amores:
381 Callimachi numeris non est dicendus Achilles:
387 Si mea materiae respondet Musa iocosae
Vicimus.
Prop. III. 3.15. Quid tibi cum tali, demens, est flumine? Quis te
Carminis heroi tangere iussit opus?
18 Mollia sunt parvis prata terenda rotis.
21 Cur tua praescriptos evecta est pagina gyros?
Non est ingenii cymba gravanda tui.

[1]) Fast. VI. 21................ O vates, Romani conditor anni,
**Ause per exiguos magna referre modos.**

[2]) cf. Aen. XII. 808—840.

[3]) Fast. IV. 561 — 574. cf. etiam Paneg. in Messall. v. 147.

[4]) Fast. V. 115 — 148. cf. etiam Fast. V. 108.

[5]) Cum his locutionibus illae sunt comparandae, quibus utuntur poëtae, cum fingunt voluisse se rem tractare graviorem, a deo vetitos esse materiam propositam persequi. Sicut Prop. III. 3 ab Apolline se facit commoneri, ne canat, quod in animo habeat canere, ita Hor. in c. IV. 15. Easdem monitoris partes obtinet Apollo apud Verg. Eclog. VI. 3.3, Quirinus apud Hor. Serm. I. 10.31. cf. praeterea Ovid. Am. I. 1. Stat. Theb. I. 17 — 33, Achill. I. 19. Silv. IV. 4.95. Compone cum hac annotatione, quae disseruit Zingerle fasc. III. p. 13 et p. 38.

[6]) Intercedere carminis tertii argumento cum Ennii Annalibus quandam quasi cognationem praeteriens

Quoniam ad hunc locum perventum est, non alienum videtur Struvii de III. 3 sententiam paucis illustrare. Is in exitu commentationis suae haec scribit:[1]) „Horaz sucht auf lyrische Weise ein von Virgil so nicht gelöstes Problem zu lösen, nämlich anzugeben, bei welcher Gelegenheit und unter welchen Bedingungen Virgils Juno ihrem Hass gegen die Römer als Abkömmlinge der verhassten und von ihr leidenschaftlich verfolgten Trojaner hätte entsagen können." Alio loco[2]) haec exstant. „Die Ode ist als ein nach Virgils Tode bei der ersten Lesung der ersten gefeilteren Bücher rege gewordener Versuch zu betrachten, auf lyrische Weise den Knoten der Aeneis zu lösen, wie trotz des Hasses der Juno der römische Staat bis zu Augustus Zeiten und unter ihm die Welt-

---

strictim monuit Schenkl. cf. Z. f. östr. Gymn. 1860. „Ovidius und Livius" p. 409. Quam celebrata fuerint illa, quae Ennius de Romuli exitu narraverat, inde patet, quod Ovidius versum Ennianum indidem repetitum duobus locis, ubi de Romuli in caelum ascensu loquitur (Met. XIV. 814, Fast. II. 475), versibus suis inseruit. cf. Zingerle II. 6, et quae de huiusmodi florum usurpatione nisus gravissimis antiquorum testimoniis ingeniose disseruit ibid. 117 sqq. Ac ne Ennius quidem in edolanda Romuli consecratione privatas quaesivit opes, sed deprompsit, quod ei videbatur, e Graecorum carminibus, quibus exponebatur, quomodo Hercules ad deos abisset. cf. Preller: G. M. II. 257, R. M. p. 704. Easdem vero partes obtinere Iunonem et in Hercule et in Romulo consecrando notum est. cf. Ovid. Met. IX. 255 sqq. Etiam illud, quod eadem ratione Ovidius Herculem sublime ferri facit, qua et ipse et Horatius Romulum faciunt a conspectu omnium in coelum abstrahi (cf. Met. IX. 271, ib. XIV. 820, Fast. II. 496, Hor. III. 3.16), testimonio est Horatium argumentum carminis aliunde mutuatum esse. Cum Hor. III. 3 etiam illa conferri possunt, quae de Aenea tradit Ovidius Met. XIV. 581 sqq. Ibi quoque de Aeneae ad caelestes introitu consultatur in concilio deorum, ibi quoque Iuno veteres simultates deponit victa insigni Aeneae virtute.

Hoc loco etiam illud inquirendum videtur, num quid commune sit carmini tertio cum Vergilianis illis versibus Aen. XII. 818 sqq. Iam Heynius annotavit l. l. „ceterum totum hunc locum ad lyricos numeros transtulit Horatius in regia Oda III. 3.... Censuit igitur vir doctissimus tertii carminis materiam a Vergilio repetitam esse. Contra Duentzero (cf. Jahns Jahrb. 1869 p. 328 sqq. „Vergilius und Horatius") probabile videtur Vergilium illos versus Horatii lectioni atque cognitioni acceptos referre, id quod Martinus Hertzius (cf. Analecta ad carminum Horatianorum historiam. I. 1876 p. 17) minime concedit. Et recte quidem vir illustrissimus. Pendeatne vero carmen 3 ex Vergilianis illis versibus, hoc Hertzius omnino non vocavit in quaestionem. Equidem, quod ad argumentum utriusque loci attinet, sic statuo et differre inter sese versus Vergilianos et c. III. 3 et habere commune quiddam. Neque enim de Romulo agitur apud Vergilium, neque eadem, quae apud Horatium, interdicit Iuno. Summa autem orationis et Vergilianae et Horatianae Iunonis eadem est. Apud utrumque enim poëtam dea amicam gentis Romanae, Troianorum inimicissimam se profitetur. Aeneidis librum duodecimum prius exaratum fuisse quam c. III. 3 si quis planum fecerit certissimis argumentis, non dubitabo statuere Horatium Vergilianis illis versibus perlectis impulsum esse, ut similia quaedam pangeret. Nam, quotiescunque similitudinis vestigia apud utrumque poëtam apparent, mimime dubium mihi videtur, quin „temporum ratione habita ubivis Vergiliana respexerit Horatius, neque ex contrario Vergilius Horatiana." cf. Hertzii commentat. p. 16. Licere quidem statui Vergilii versus vetustiores esse quam c. III. 3 non abnuerim. Nam iam supra monui nemini adhuc contigisse, ut quo anno c. III. 3 emissum sit, luculentissime demonstraret. Quod vero scribit Duentzerus, qui si unquam putavit intercedere cognationem carmini tertio cum Aen. XII. 818 — 828, non debuit carmen Horatianum tam reconditis abstrusisque rebus refercire: „Dass das zwölfte Buch der Aeneis im J. 731, in welches die betreffende Ode fällt, bereits so weit vorgeschritten und dem Hor. bekannt gewesen, ist nicht wahrscheinlich," hoc non prius desinemus commentum ducere, quam gravioribus testimoniis vir doctus confirmaverit, cur anno 731 carmen III. 3 emissum sit, cur tum liber Aeneidis duodecimus nondum fuerit absolutus; adhuc opinionem suam nulla omnino re probavit. Quoad autem non constabit, uter poëta prior Iunonis orationem confecerit, minimae erit levitatis statuere utrumque id, quod apud Ennium cognoverit — etenim hic quoque deam facit Romanis suam iniuriam benigne et liberaliter condonantem, perpetuum odium ac pestem Troianis minitantem — pro suopte ingenio suoque sensu ibi imitatum esse, ubi eorum utrique commodissimum videretur.

[1]) l. l. p. 407. [2]) l. l. p. 402.

herrschaft erobert habe.“ Denique paulo infra[1]) haec videmus scripta: „In der Aeneide ist nirgends eine Aussöhnung ausgesprochen, nirgends die Frage gelöst, wie Juno ihrem Hass entsagend, dem Gedeihen römischer Macht sich nicht mehr feindselig in späterer Zeit entgegengestellt habe. Grade diese Ansicht ergreift der grosse Dichter Horaz.“ In Struvii sententia examinanda nemo, quod sciam, nisi Schulzius versatus est.[2]) Qui cum mea quidem opinione ea ipsa praetermiserit, quae vel maxime erant ponenda in trutina, de iis agam, quae Schulzius reliquit perpendenda.

Ac primum quidem id falsum est expediri ab Horatio in hoc carmine problema, quod vocant, a Vergilio non solutum. Id enim si sibi proposuit Aeneidis auctor, ut demonstraret Iunonem initio cedere nesciam, postremo certis quibusdam condicionibus iram et iniuriam suam condonasse genti Romanae, admirabili divinaque arte, quod animo intenderat, consecutus est.[3]) Censet autem Struvius vivo Vergilio Aeneidem Horatio prorsus incognitam fuisse, quam opinionem captiosa quadam ratione defendit. An vero inde, quod de Aeneide nihil scriptum vides apud Horatium, iure colligi potest nihil ei exploratum fuisse de epico illo carmine? Cur Aeneidis mentionem non fecerit, haec quoque causa afferri potest, quod Vergilio, qua erat modestia, haudquaquam gratum fuerit opus suum, priusquam ad unguem castigatum omnibusque numeris absolutum esset, venditari et ostentari; quamquam igitur Horatius, vir egregii altique silentii, nihil memorat de Aeneide, tamen dubitari non potest, quin non modo quae essent operis lineamenta, sed etiam quomodo singula, ut ita dicam, membra carminis et excuderentur et accrescerent excusis, ab ipso auctore cognoverit.[4]) An ii, qui cum Vergilio minus coniuncte vivebant, haud ignorabant in opere illo exarando versari poëtam:[5]) Horatium, qui quantopere Vergilium et amaret et amplecteretur tam sincere quam venuste prae se ferebat, nihil de Aeneide cognitum habuisse censebimus? Quid porro est, quod putemus Vergilium amicissimis suis non recitasse et singulas partes Aeneidis et totum carmen, id quod poëtas tum facere solitos esse satis constat?[6]) Ne illud quidem, quod Vergilio mortuo de Aeneide non loquitur, sed satis habet honorificentissime Vergilium commemorare[7]) testimonio esse debet Horatio Aeneidem incognitam fuisse. Adeo in omnium ore erat Vergilius confecto illo opere, „quo nullum Latio clarius exstat opus,“[8]) ut satis esset nomen eius appellare. Accedit, quod scimus anno 732 Augusto Vergilium librum secundum, quintum, sextum recitasse, aut ut alii tradiderunt, primum, tertium, quartum, postquam iam octo annos in opere perficiendo consumpserat. Hos saltem libros, in quibus quomodo problema illud, quod supra commemoravi, expediturus esset haud obscure adumbravit,[9]) intimis suis recitasse quis neget? Postremo plus quam ex uno carmine Horatii cognosci potest Aeneidem ei non ignotam fuisse.[10])

---

[1]) p. 404. — [2]) l. l. 10, 13 sqq. — [3]) v. p. 28 not. 6.

[4]) Quo anno Horatius illud cecinit: forte epos acer
Ut nemo, Varius ducit; molle atque facetum
Vergili annuerunt gaudentes rure Camenae,
quo loco vel maxime nititur Str., Aeneidem nondum inchoaverat Vergilius. v. interpret. ad Hor. Serm. I. 10.45.

[5]) v. interpret. ad. Prop. II. 34.56.

[6]) Ovid. Trist. IV. 10.45; Hor. Ep. II. 2.66; Serm. I. 4.73; cf. Campe. l. l. p. 477.

[7]) Ep. II. 1.247; Art. poët. 55.

[8]) Art. Am. III. 338; v. Zingerle II. p. 48 sqq.; Ribbeck. Verg. ed. min. p. 23. Quam mature Vergilii opera lectitata sint in scholis, apparet ex iis, quae Suet. tradidit de Quinto Caecilio gr. 16.

[9]) cf. interpretes ad I. 279. III. 437. VIII. 60.

[10]) cf. Duentzer: „Vergilius und Horatius“ Jahns Jahrb. 1869 p. 328 sqq.; Riese: „Horatiana“ ibid. 1867 p. 478 sqq.; Gesell: de interpolationibus mythologicis apud Horatium. Bonn 1865 p. 6.

Neque vero non vehementer officit suae interpretationi Struvius ipse hac re, quod dicit carmen III. 3 arte cohaerere cum ceteris quinque. Esse in carmine quaedam, quae lyrica appellanda sint, non nego, sed tam pauca sunt, ut inter hoc carmen, cui Str. vel principem locum tribuit, ceteraque paene nulla sit similitudo. Denique hoc quoque contra Struvium dici potest. Cum post mortem Vergilii existimet carmen tertium editum esse, quod cur sumendum sit, parum probabilem affert rationem, omnia sex carmina, quippe quae ei videantur inter se conexa, non prius quam a. 735 scripta esse possunt. Consideranti autem mihi, quam acerbe Horatius in sexto carmine reprehendat atque castiget vitam Romanorum incestam, quam graviter carpat impietatem aliaque vitia, carmen sextum nullo pacto videtur scribi potuisse anno 735 vel postea. Illis enim temporibus[1]) Horatius iam non tam acerbus castigator censorque morum exstitit; non efferebat ille quidem tum summis laudibus Romanorum mores, sed confitetur emotas esse culpas iamque priscum pudorem redire audere.

Nihilo vero minus inest in Struvii commentatione, quod siccum ac sanum haud immerito sit appellandum. Atque haec laus ei praeter ceteras carminis tertii explicationes, quas quidem cognoverim, iure debetur. Haud infirma enim suae interpretationi existimandus est fundamenta iecisse Struvius, utpote qui id maxime laboraverit, quomodo explanationem carminis ad Horatii verba potissimum accommodaret. Ac profecto quo minus rimatus est res involutas ac latentes, eo plus solidi invenit. Licet hoc intellegi etiam ex ultimae strophae enodatione, quae quamquam manca est, declarat tamen Struvium bene sana illustrandi carminis ratione usum melius rem, ut aiunt, acu tetigisse illis interpretibus, quibus quidvis idoneum videatur ad illuminandas obscuritates amphiboliasque affictas videlicet Horatio.

Haec habui, quae et de tertio carmine dicerem et praemunirem simul reliquae disputationi. His dum paro adiungere si non omnia, quae mihi edolata sunt de proposita quaestione, at certe, quae de quarto carmine exarata iacent in meis capsis, nescio quem monitorem audire videor insusurrantem mihi Horatianum illud: „Iam satis est;“ ergo „verbum non amplius addam.“

---

[1]) a. 736 Horatium cum alia carmina tum c. III. 3 emisisse Struviana interpretatione vel maxime nisus contendit Feldbauschius (cf. de Horatio non adulatore. Heidelberg 1839 p. 40), quod statuere vel potius pro certo affirmare quantae sit levitatis docuit Teuffelius. v. Jahns Jahrb. 1840 p. 334.

---

## Errata.

p. 2 lin. 2 ab inferiore parte legendum est eo, non ei.
p. 8 „ 11 a superiore „ vox quidem collocanda est post vocem tangi.
p. 14 „ 7 ab inferiore „ legendum est placuerunt ex iis, quae, non placuerunt, quae.